SPIRITUS PRINCIPALIS
SIVE
DOTES BONI PRINCIPIS,
Aphorismis, Historiis, & Dissertationibus Politicis
Declarata

AUTHORE
JOANNE ADAMO WEBER,
Canonico Regulari S. Augustini, Collegij Cellæ novæ in Tyroli Professo, SS. Theologiæ Sacrorúmque Canonum Doctore, Majest. Cæsar. Consiliario, Præposituræ Höglwerthensis p. t. Administratore.

Editio Secunda Emendatior.

Cum Facultate Superiorum.

SALISBURGI,
Typis & impens. JOANN. BAPT. MAYR, Typographi Aulico-Academici.
1674.





ILLUSTRISSIMO AC REVERENDISSIMO

PRINCIPI AC DOMINO

DOMINO

FRANCISCO CASPARO,


EX

ANTIQUISSIMA STADIANORUM FAMILIA

EPISCOPO LAVANTINO,

Ecclesiarum Metropoliticæ SALISBURGENSIS, Imperialis BAMBERGENSIS, & Cathedralis HERBIPOLENSIS CANONICO, &c. &c.

Domino Domino meo Gratiosissimo.



ILLUSTRISSIME
AC REVERENDIS-
SIME

PRINCEPS,

Domine Domine Gratiosissime.



Ublica plaudentium gaudia, & certantes acclamantium voces, hactenus moram injecerunt quò minus TIBI REVERENDISSIME PRINCEPS, de Lavantinâ Mytrâ humillimè gratulari auderem. Decebat majorum votis cedere, & mea his demum finitis accedere. Nunc ali-

aliquando hasce pagellas, grati & gratulantis animi interpretes ad pedes Tuos submississimè demitto, quòd si ibidem procumbere patieris, vota mea ad summum evecta crediturus sum. Caput enim excelsius est quàm ut hoc attingere liceat, & semper vertices Principum trepidatione, genua coluntur osculatione. Fateor, deterruit Fastigij sui sublimitas, simul & modestum ruborem incussit istius operis humilitas; Verùm vacillantem erexit innatæ benevolentiæ Tuæ fiducia, erectum confirmavit splendidissimum nominis Tui Lumen, quod undique omnia fulgentissimè irradiabit. Unum saltem est, quod chartaceum hoc munusculum commendet,

nimi-

nimirum dicendi argumentum, quod Tu Ipse Reverendissime Princeps perfectissimè nobis exhibes, dum *Dotes Boni Principis* singulas in Te veneramur. Singularis in Deum Pietas & zelus totum Te cælestibus occupat, ut tamen â sollerti rerum humanarum curâ nihil omittas, Amabilitatem & Gravitatem amico fœdere ita misces, ut utramque æquo & æquali feras pondere. Prudentia, quâ omnia sagaciter prævides, summa in Te est, quæ tamen aliorum consilia audire & quærere non dedignatur. Liberalis & munifica est manus Tua, sed cum oculo, ut quantum oculus viderit meriti, tantum manus distribuat præmij. Frugalis es, non tamen, ubi

magni-

magnificentiâ opus est, conditionis Tuæ immemor. Clementiam temperas Justitiâ, Justitiam mitigas Clementiâ, absque quòd alterutram lædas. Ubique par æquitas, & æqua paritas. Verbo in Te

- - omnia in uno
Quæ decorant alios singula, juncta nitent.

Nudè & sine fuco hæc loquor, ita enim veritas vestiri solet. Nec porro in vestibulo Encomia Tua prætexere statui, cùm quot totus continet libellus periodos, tot in Te adornem Panegyres. Accipe ergo *Archetype* Tuum *ectypon* benigno quo solus cultu, & *Spiritui huic Principali* viam favoris publici *Spiritu & favore Principali* aperi, mihi verò

rò TUARUM Gratiarum januam, quæ ſemper mihi gratioſiſſimè patuit, ulterius apertam ſine.

Illuſtriſſimæ & Reverendiſſimæ

Dominationis Tuæ

Servus humillimus

JOAN. BAPT. MAYR.

APPROBATIO
Imprimator
BALTHASAR
à Nolaren, p. t. Viennensis Universitatis Rector.

EGo infrascriptus perlegi hoc opusculum Admodùm Reverendi & Clarissimi D. JOANNIS ADAMI WEBERI, SS. Theolog. & Sacr. Canonum Doctoris, nec non Cæsareæ Majestatis Consiliarij, nihilque in eo reperi, quod sanam Catholicam doctrinam non spiret. Dignum proinde censeo, quod pro utilitate publica in publicum prodeat. *Datum Viennæ Austriæ* 27. *Octobr.* 1670.

JOANNES BAPTISTA MAIR,
SS. Theol. Doct. Aug. Imperatricis viduæ Eleemosynarius, Reverendiss. & Illustriss. Principis Episcopi Viennensis Consiliarius Consistorialis, p. t. inclytæ Facultatis Theolog. Decanus.

APPROBATIO Reverendissimi Metropolitici Consistorij Salisburgensis.

Libellum istum: cui Titulus *Spiritus Principalis*, sive *dotes boni Principis, Aphorismis, Historiis & dissertationibus Politicis declarata*; primitus cum Licentiâ superiorum Viennæ Austriæ Impressum, ex Mandato Reverendissimi Consistorij accuratè perlegi, quem proinde cùm nihil alienum ab Orthodoxâ fide aut bonis moribus doceat, dignum censeo, ut publico bono & privato, publicam videat lucem & secundam.

Salisburgi 11. *Maij*. 1674.

JOANNES JULIUS De MOLL, Provincialis Austriacus, Celsissimi & Reverendissimi Principis & Archiepiscopi Salisburg. S. Sedis Apostolicæ Legati, &c. Consiliarius Consistorialis, & Colleg. B. M. V. ad Nives Canonicus.



SPIRITUS PRINCIPALIS.

Sive

DOTES BONI PRINCIPIS

Aphorismis, Historiis, & Dissertationibus Politicis declaratæ.



PRÆFATIUNCULA.

REx David Boni Principis Illustrissimum Prototypon optavit Sibi *Spiritum Principalem*, cùm dixit: *Spiritu Principali Confirma me*. Eundem Spiritum, cum dotibus ad eum requisitis, Ego quoque Serenissimis Celsissimisque nostri ævi Principibus tanto animi affectu precor, quanta studij laborisque contentione præsens opusculum in eum finem elucubravi; Spero autem hanc meam lucubrationem non fore infructuosam, si *Lectorem* pariter & *Factorem* nacta fuerit.

CAPUT I.

Quod oporteat Principem auſpicari Regimen Suorum à Regimine Sui.

NAtura hominis, ſi bona eſt, Hominem regere: ſi mala, ab Homine regi debet, præſertim ab eo, qui alijs regendis præpoſitus eſt. Non ſunt boni Reges illi, qui ſunt Reges *Suorum* non *Sui*. Primus Principis ſubditus debet eſſe Princeps ipſe. Diſcat proinde Regimen *Sui*, antequam exerceat Regimen *Suorum*. Nam Regimen *Sui* eſt fundamentum Regiminis *Suorum*. Regimen *Sui* eſt Horologium publicum, cui Regimen *Suorum* conformari debet. Regimen *Sui* Officio LUCIS & DUCIS fungitur: LUCIS ad illuminandum, DUCIS ad dirigendum.

Porrò tria ſunt Regiminis *Sui* impedimenta principalia, quæ Viri Principes tantâ animi contentione amoliri

moliri debent, quanto affectu Reipublicæ suæ salutem desiderant.

Primum impedimentum est *Ignorantia Sui.* Fieri enim non potest, ut bene regat seipsum, qui non bene cognoscit seipsum: quando prima & primaria totius gubernatricis Prudentiæ Regula continetur illo Sapientis Antiquitatis oraculo: *Nosce teipsum.*

Sed hæc notitia non minùs est rara quàm cara. Ut proinde Henricus IV. Imperator non immeritò usurpaverit pro symbolo hanc gnomen: *Multi multa sciunt, se autem nemo.*

Turpis enimverò Scientia (veriùs ignorantia) nosse alios & alia, non nosse semetipsum. Tales sunt Argi alijs, Talpæ sibi: sapientes alijs, desipientes sibi. *Odi Sapientem, qui sibi non sapit.*

Nosce igitur teipsum, priusquam alios & alia noscas. Disces autem notitiam Tui, si aspexeris dissimiles tibi. Audi S. Gregorium: *Qui vult*

ligere qualis est, tales aspiciat qualis non est.

Secundum impedimentum est inordinatus animi affectus, sive indomita passio. Ineptissimus profectò Consiliarius est Affectus; quia ipsi frequenter res major apparet, quàm Veritati. Econtrario ibi sunt sana consilia, vigétque prudens gubernatio suiipsius, ubi est parum *passionis*, & multum *patientiæ*.

Tertium impedimentum est nimia in agendo præcipitantia, quam prudenter Itali sequentibus dissuadent adagijs: *I Secondi pensieri sono migliori. Cosa presto fatta è presto disfatta. Misura tre volte, taglia una. Presto e ben non si convien. Chi và piano và sano.*

Sapientissimè censuit Carolus V. Imperator, quòd quemadmodum Saturnus inter septem Planetas supremum obtinet locum, & tamen tardissimus est omnium, lentissiméque circumvolvitur; ita Principes,

qui

qui summâ inter homines functione utuntur, quàm minimè præcipites esse oporteat. *Qui festinat, ad lapsum inclinat.*

Præclarum est illud Philippi II. Regis Hispaniarum elogium: *Cunctator eximius, qui temeritate nunquam peccavit.* Nonnunquam tamen properandum est, juxta Regulam à Tacito traditam: *Nullus cunctationi Locus est in eo consilio, quod non potest Laudari nisi peractum.*

CAPUT II.

Quòd Pietas erga DEum sit Viris Principibus apprimè necessaria.

PIetas erga DEum est firma basis, cui rerum privatarum publicarúmque prosperitas innititur. *Dove non è pietà, non può esser felicità.*

Agnovit veritatem hujus Dictaminis Serenissimus Maximilianus Elector Bavariæ in ijs monitis, quæ ipse ad probam Filij sui Ferdinandi, cùm adhuc trimulus esset, institutionem, scripto mandari, eidémq; adolescentiam ingresso proponi & explicari jussit. *Hoc certò statuendum est* (inqnit sapientissimus Elector) *in Principis erga Deum pietate felicitatem ipsius, Subditorum mores, & utrorúmq; fata librari.*

Cæterum duo sunt veræ pietatis adjumenta efficacissima: quorum alterum in refrænando rerum terrenarum amore, alterum in studio Christianis virtutibus impendendo consistit. Ac de postremo quidem sic statuunt Sapientes, eum Principem, qui Christianis virtutibus destitutus est, non tam Principẽ, quàm Monstrum Principis esse.

Tunc sanè Rex titulo Regis est usquequaq; dignissimus, quando in ejus solio sedet *Constantia*, in Purpura flagrat *Bonitas*, in Corona radiat *Sapientia*,

in

in corde vivit *Clementia*, in enſe armatur *Fortitudo*, in manu *Liberalitas* explicatur, in oculis *Humanitas* effloreſcit, in victorijs *Divina gloria* triumphat.

Ad alterum quod attinet, perſuadeant ſibi Principes, bona mundi hujus minimè bona, adeòq; nomine ſuo tam indiga quàm indigna eſſe; cùm in prima fronte ſplendoris quidem aliquid, in intimo autem receſſu nihil ſoliditatis veritatiſque contineant; ſed ſint inſtar iridis, quæ quos colores oſtendit, non habet. Quidquid enim Mundus amat ut pulchrum, ſuſpicit ut Magnum, veneratur ut dignum, deprædicat ut excellens, appetit ut delectabile, uſurpat ut commodum, poſſidet ut pretioſum, id omne vanum & umbraticum eſt.

Quemadmodum roris antelucani guttula cœlo delapſa in mare fit unda, unda aſſurgit in fluctum, fluctus concitatur in ſpumam, ſpuma ſalit in bullam, bulla extenuatur in vaporem,

vapor concrescit in nubem, nubes defluit in imbrem, imber densatur in lutum, lutum fatiscit in pulverem, pulvis dissipatur in ventum, ventus denique evanescit & interit; ita Res terrenæ & bona mundi hujus, post varias mutationum, aliarum ex alijs nascentium, vicissitudines, tandem sicut fumus deficiunt & evanescunt.



CAPUT III.

Quod Principes spem suam atque fiduciam in solo DEO collocare debeant.

Reges & Principes in Deo potiùs, quàm in rebus creatis spem & fiduciam suam collocent: malintque, divinis, quàm humanis & mundanis præsidijs suum fulcire Principatum.

Non est solidum Regale solium, nisi firmetur ab eo, qui firmavit Firmamentum.

Car-

Cardinalis Guisius, cùm olim Henrici II. Regis Galliarum in administratione Regni primarius esset Minister, eamque ob causam multorum procerum incurrisset invidiam; ut ostenderet, se nullius, præterquam Regis, favore & gratiâ niti, pyramidem erexit, cui tenaciter adhærescebat hedera, â basi usque ad Cuspidem circumfluâ reptatione consurgens, inscripto basi hoc declaratorio lemmate: *Te stante virebo.*

Hanc ego Pyramidem esse dixerim divinam Gratiam: cui si Princeps veluti hedera arctissimo pietatatis fiduciæque complexu adhæserit, semper in eo vera virebit, vigebitque felicitas, infestis inimicorum machinationibus elusis & elisis.

Princeps nihil paveat, si Deus illi faveat.

Dov' è l' ajuto divino, la tela di ragno diventa muro: dov' è lontano, il muro diventa tela di ragno.

CAPUT IV.

De Cultu Veræ Religionis à Christianis Principibus promovendo.

CHristianos Principes oportet primis curis studiisque cultum Religionis orthodoxæ amplecti.

Jactura Religionis, Jactura Regionis: Porrò tria in Religione orthodoxa spectanda sunt: *Veritas, Puritas, Unitas.* Veritas est *Fundamentum*, Puritas *Ornamentum*, Unitas *Firmamentum.* Nam Religionis *Unitas* censetur Regnorum *Unio.* Unde in Portis Parisiensibus hæc legitur inscriptio: *Une foy, Une Loy, Un Roy:* Hoc est, *Una Fides, Una Lex, Unus Rex.*

Errant igitur, & luculenter errant, quotquot pluralitatem Religionum vel amplectuntur oblatam, vel offerunt amplectendam.

Qui nullam Religionem excludit, nullam includit.

Talis

Talis fuit Cham Tartarorum Princeps, qui Stephano Rege Poloniæ defuncto, Coronam Polonicam ambiens desiderium suum in Regni Comitijs per Legatum, tribus adductis Motivis aperuit. Primum potentiam, alterum frugalitatem, tertium Religionem concernebat. Potentiam probabat ex eo, quòd aliquot Equitum Myriadas Poloniæ vel augendæ, vel tuendæ causâ è terris suis educere posset. Frugalitatem declarabat ex ciborum parsimonia, quòd in fame solâ carne equinâ contentus esset. Ad Religionem quod attinet, de qua disputari audierat: *Tuus*, inquit, *Pontifex meus Pontifex esto: Tuus Lutherus meus Lutherus esto.*





CA-

CAPUT V.

Divinæ gloriæ amplificandæ studium Christiano Principi commendatissimum esse debere.

LEx Christiana præcipit, ut gloriam propriam gloriæ Christi Redemptoris nostri postponant Principes Christiani, totúmque illud mundani Honoris ac splendoris choragium, quod venerationi ipsorum impendunt populi, in immensum gloriæ divinæ pelagus refundant.

Hanc piam animi Christiani dispositionem cognovit olim Venetia in suo Duce Celso, qui teste Petro Justiniano *in Histor. Veneta*, cùm inaugurationem Principatûs Veneti suscepisset, Numisma cudit pileo Ducali insignitum, cui insutus erat Crucifixus, hac additâ inscriptione: *Non mihi, sed Christo.*

Contrarijs studijs aguntur nonnulli Reges & Principes Pseudopolitici, qui

qui in omnibus suis designationibus *non Christo sed sibi* gloriã aucupantur.

Non Christo, sed sibi gloriam quæsivit Carolus Audax Dux Burgundiæ, qui stimulis inanis gloriæ, ad imitandum Alexandrum M. cæterósque antiquos Heroes, adactus, vicinos omnes temerè & sine causâ bello lacessivit: ita ut Philippus Cominæus inter causas, quæ Ducem istum in ruinam atque exitium præcipitem egerunt, præcipuam statuat ambitionem, & gloriæ militaris, quâ Veteres inclaruere, inconsultam æmulationem.

Non Christo, sed sibi & sanguini suo gloriam nundinatus est Carolus IV. Imperator, qui Wenceslaum filium sibi adhuc viventi successorem destinavit: cúmque Rom. Imperij Electores in consensum, approbationémque consilij sui facilè pertrahere non posset, quod virtute non potuit, pretio comparavit, promissis cuique Electori centum millibus aureorum;

quos

quos cùm ipsis repræsentare non posset, publica Romanæ Reipublicæ vectigalia, Imperatoribus ad subsidia relicta, cum maximo Imperij detrimento, ijs non tam oppignoravit, quàm perpetuò alienavit. Atque hinc perpetuum Imperij malum. Nam ab eo tempore Romana potentia ad nihilum redacta (inquit *Æneas Sylvius c. 32. histor. Bohem.*) nec posthac attollere caput Imperium potuit; cùm Principes Electores omnia sibi retinerent, & Imperatorem jurejurando adigerent, ne pignora revocaret.

Non Christo, sed sibi gloriam grandi piaculo comparavit Ludovicus V. Sfortia Mediolanensis Princeps, dum Joan. Galeacium Fratris filium, cui Principatus debebatur, veneno sustulit, eoq; sublato, aureâ veste indutus, Regem se salutari passus est. *Bemb. lib. 2. Histor. Venet.*

Non Christo, sed sibi gloriam dominationis ambivit Cæsar Borgia, quando ad obtinendum, quod affectabat, Regnum

Regnum Italiæ, ante omnia Proceres Romanos, Columnios & Urſinos tollere conſtituit: poſtquam inter eos bellum aliquamdiu fruſtra aluiſſet, & utraque pars multis vulneribus ſi non conciſa, certè magnopere acciſa eſſet. Ipſi verò poſt illud civile bellum, Borgiæ actibus intellectis pacem & concordiam redintegrarunt. Et Columnij quidem nihil ſibi fugâ, exilióque utilius rati, paterna oppida Borgiæ reliquerunt. Urſini verò ſtipendijs allecti, & in fide Tyranni hæſitantes, ferè omnes teterrimo ſupplicio necati ſunt. Cajetanæ familiæ Proceres, qui Sermonetam oppidum in Latio obtinebant, Jacobus, Nicolaus, & Bernardinus, alio atque alio modo interfecti, arces & opes ſuas Borgiæ conceſsêre. Camertes quoq; reguli antiquæ nobilitatis, Julius Cæſar, Venantius, Annibal & Pyrrhus, Principatu exuti ſtrangulatique ſunt. Aſtorem, Manfredum Faventiæ Principem ſub fide deditum, necatúmq; immaniter

Tyberis

Tyberis excepit. Catharina Sfortia, quæ Forolivij & Forocornelij Urbibus imperabat, expugnata tormentis & capta, Romam tanquam ad triumphum perducta est. Pandulfus Malatesta, Joannes Sfortia, & Guido Ubaldus Feltrius, ipsorum ditionis Urbes Ariminum, Pisaurum & Urbinum invadenti Borgiæ, relinquere, quàm interfici, arreptâ fugâ maluerunt. Cessit & Jacobus Appianus oppidum Populonium in Hetruria. Et dum hac cruentâ viâ in alienos Principatus grassaretur impius Latro, etiam Arragonium Adolescentem, Beselij Principem, ac Alphonsi Regis filium (& quod referre pudeat) Lucretiæ sororis suæ Maritum, in atrio Vaticani templi vulneratum: & quoniam spes esset curari posse, in ipso cubiculo lectóque nuptiali sororis mactari jussit. Borgiam item Juniorem Cardinalem Veneno sustulit. Joannem quoque Cerbellionem, Virum domi militiæ-

que

quæ nobilem noctu à Cœnâ redeuntem crudeliter interfecit. Ab eo pariter Capitali supplicio affectus est Jacobus Sanctacrucius, præclaræ nobilitatis Romanus Civis (quo nemo ipsi Cæsari familiarior, amiciórque fuit) nec aliam ob causam, quàm quòd validam promptissimorum hominum manum ex factione Ursinâ subitò cogere, & ad omne audendum facinus impellere posset. Tandem cùm veneno Cardinales locupletes tollere decrevisset, pincernæ imperitiâ permutatis lagenis, Cæsar ipse Paterque ejus Alexander, qui convivio intererat, venenum biberunt. Et Pater quidem vim veneni non ferens interiit: Borgia verò ætatis robore evadens in vincula conjectus est, è quibus elapsus ad Regem Navarræ confugit, ac demum in prælio quodam ignobilis cecidit. *Jovius lib 8. histor.*

Ita pseudopoliticus & Antichristianus iste fortunarum vitarúmque

alie-

alienarum prædo sine gloria decessit è vita; quia cum detrimento gloriæ divinæ, gloriam propriam tantâ animi elati impotentiâ quæsivit, ut etiã hæc verba: *Aut Cæsar, aut nihil*, vexillis suis militaribus inscribenda curaverit. Gloria vana florere aliquamdiu potest: Fructum, quia Dei gratia destituitur, ferre non potest. *La gloria vana fiorisce, e non grana.*

Discant igitur Christiani Principes, illam esse brevissimam ad culmen veræ gloriæ semitam, in rebus omnibus non suam, sed Dei gloriam quærere.

Joannes Ferrus *part. 2. Theatri Symbolorum* proponit symbolum ab omnibus Christianis Principibus usurpandum; videlicet acum magneticam, cum hac inscriptione, *Respicit unam.* Sicut enim acus magnetica, cui magnes affrictus est, inter omnes stellas *respicit unam*, videlicet polarem; Ita Princeps verè Christianus, magnetismo divini amoris imbutus, *respicit unam.* supremi Principis gloriam:

hanc

hanc unicè optat, hâc ſolicitè quærit, ad hanc in ſuis omnibus functionibus tanquam ad ſcopum collimat; huic, poſthabitis proprijs commodis, privatóq; *Intereſſe*, ſe totum impendit.

Sed (quæ temporum noſtrorum eſt calamitas) cupiditas gloriæ (non divinæ, ſed propriæ) acerrima eſt in quibusdam Principibus: quos illa (quia virtus impetum non reprimit) acutiſſimis ſtimulis ad quidlibet audendum commovet. Unde turbationes maximæ oriuntur in Republica Chriſtiana. Quod Scipio Bargaglius *tract. de Symbol.* accommodatè exponit ſymbolicâ repræſentatione venti mare turbantis, & fluctus attollentis, appoſito hoc Lemmate: *Turbat & extollit*. Sicut enim marinæ aquæ ventorum impetu turbantur, & in fluctus ingentes concitantur; ita ventus ſuperbiæ, quo nonnullorum pectora Principum intumeſcunt, ſicut in ipſis immanes planéq; decumanos elatæ mentis fluctus *extollit*, ita pariter *turbat*

bat Regna & Provincias; ut miseris subditis multorum annorum spatio nullam quietis partem capere liceat.

CAPUT VI

Viris Principibus imitandos esse majores, qui laudabiliter & gloriosè vixerunt.

NEgari equidem non potest, ipsam nascendi conditionem dare Principibus jus ad magna, vivendi formam signare viam ad majora, merendi occasionem esse comitem ad maxima; fatendum est tamen etiam, hæc omnia ornamenta degeneris animi vitio facillimè corrumpi. Et sanè non rarò accidit, ut cùm virtus hereditaria non sit, vitiosi nepotes Illustrissimos numerent progenitores.

Quemadmodum inter irides si quando plures in aëre formantur, vegetiores radios prima excipit, secunda

cunda debilius nitet, tertia vix apparet; ita rarò pares. Avis nascuntur nepotes.

Non ineptè hoc hominum genus compararverim cum ave cui nomen Collurio: Quæ teste Jonstono in Thaumatographia, pullos habet tam dissimiles parentibus, ut eos vix unicâ notâ referant.

Nobiles fiunt, nobilitandi nascuntur. Ita sensit Urbanus VI. Pontifex Max. humili prosapiâ ortus, Patre scilicet Sutore Veteramentario in Urbe Trecensi; Is, cùm aliquandò ipsi objiceretur, quòd ignobili loco natus esset, respondit, Virum Nobilem non nasci, sed fieri.

Nobiltà non s' acquista nascendo, mà virtuosamente vivendo.

Ille est verè Nobilis, *qui ad vitia non est* Mobilis.

Hoc probè intelligentes viri Nobilissimi, quorum sanguini Virtus Majorum præclaros veræ gloriæ igniculos, tamquam spiritus quosdam

vitales

vitales indidit, ducti ab Illustrissimis Progenitoribus longo traduco stemmatis, & avitæ Majorum gloriæ nequaquam immemores, Gentilitiam suam arborem insitivâ Novi Herois Gemmulâ inoculare, hoc est, Avorum Virtuti Virtutem, Meritis merita, fortunæ fortunam, gloriæ gloriam adjicere conantur.



CAPUT VII.

Quòd Principes suis Subditis bono exemplo, sed sine hypocrisi, prælucere debeant.

BOni Principes boni Exempli Facem suis Subditis præferre solent, ad Viam Virtutis alacriter decurrendam. Malè imperat, qui tantùm imperat. Exemplo Imperia & *formanda*, & *firmanda* sunt. *Chi vuol commandar, cominci prima à far.* Exemplum in Magnis Magnas habet vires in utramque partem, sive ad

ve ad bonum, si bonum: sive ad malum, si malum. Sæpè Principes benè agunt soli, sed rarò malè agunt soli; quia subditos in bono exemplo rariùs, in malo sæpiùs habent sequaces.

Caveant igitur Principes, ne quantum suis subditis per salutares leges emolumenti, tantum ijsdem per prava exempla nocumenti afferant. *Qui lege docet, & exemplo nocet, plus nocet, quàm docet.* Et quid hoc est aliud, quàm unâ manu ædificare & alterâ destruere? Audiatur S. Chrysostomus: *Benè docendo & malè vivendo instruis Deum, quomodo te debeat condemnare.*

Quapropter illud acri studio à Viris Principibus providendum est, ut cum eorum legibus exemplum vitæ, & cum exemplo vitæ genuina veritas, detractis omnibus hypocriticis larvis, accuratè conveniat.

Qui sub larva hypocritica, h.e. sub inani Virtutis specie Veram virtutis inopiam occultat, is ad Virtutem ma-

gis *fictus*, quàm *factus* est; eò quòd probus videri, quàm esse malit.

Talis fuit Judas proditor, sub ovina pelle lupus rapax, sub agni lana Leo rugiens, sub toga Apostoli perfidus Deicida, sub larva discipuli sacrilegij Magister, sub figura hominis diabolus incarnatus.

Talis fuit & Tiberius Cæsar, qui virtutum simulacris ingentia prætexuit vitia, *Con l'ombra delle Virtu si dipinge il vitio*. Verùm ille sui tegendi peritissimus artifex totus tandem posteritatis oculis patuit: Deo hypocrisin detractione larvæ plectente. Meta ad quam colimat hypocrita, est gloria: Sed ad hanc metam nunquam perveniet; quia nunquam non graditur via duplici: Viâ inquam virtutis apparentis, & viâ nequitiæ latentis. *Illa est rectissima ad gloriam via, si talis sis, qualis haberi cupis.*

Audiant hypocritæ, sed audiant ad correctionem malitiæ suæ, hoc planè aureum Oratoris aurei, Chry-

fossomi inquam, pronuntiatum: *O hypocrita, si bonum est bonum esse, ut quid vis apparere, quod non vis esse? Si malum est, malum esse, ut quid vis esse, quod non vis apparere? Aut igitur appare quod es, aut esto quod appares.*

Symbolum Carini Cæsaris fuit, *Esto quod audis.*



CAPUT VIII.

De Moderata agendi ratione à Principibus usurpanda.

PEr moderatam agendi rationem intelligo virtutem aureæ mediocritatis, quâ omnis in actionibus Principis vitetur excessus.

Porrò *Excessus* nihil est aliud, quàm *Recessus*, & *Accessus*: hoc est, *Recessus* à Medio virtutis, & *Accessus* ad extrema vitiosa. Accomodatum est ad rem præsentem Justiniani II. Imperato-

ris symbolum: *Quod satis est, multum est, quod nimium, non sufficit.*

Spesso chi troppo fà, troppo poco fà.

Cæterum tres *Excessus*, sive tria *Nimia* nimiùm nocere solent Principibus: *Nimia* suspicio, *Nimia* credulitas, *Nimia* timiditas.

Cominæus *S. Commentar.* postquam Ludovicum XI. Regem Galliæ ante diem fatúmque suum, ut ipse opinatur, mortuum; Carolum VII. Veneni metu, quasi inedia extinctum; Carolum VI. diversis suspicionibus agitatum, mente excidisse narrasset: Causam in universum, cur à Caroli Magni ævo usque ad sua tempora, nullus Franciæ Regum sexagesimum vitæ annum excesserit, isti *suspicandi, credendi, metuendi* morbo attribuit.



CA-

CAPUT IX.

De Refrænatione nimiæ libertatis in Principibus.

LIbertas Principis refrænata, est Reipublicæ ſanitas: effrænata, ægritudo. Sæpè enim quod non poteſt, vult poſſe, qui nimiùm poteſt. *Cui plus licet, quàm par eſt, plus libet, quàm licet*, infeliciter imperant, qui imperium licentiâ metiuntur, & poteſtatem arbitrio. Feliciſſima ex adverſo eorum eſt gubernatio Principum, qui non minùs imperant affectibus animi ſui, quàm ſubditis ſuis. Verè magnus eſt Princeps, qui magnitudinem ſuam non tam Imperio, quàm Imperij moderatione: non tam hoſtium, quàm hoſtilium ſuarum cupiditatum victorijs metitur.

Itaque Principes meminerint, magnum inter *licita* & *libita* ſtatuendum eſſe diſcrimen, ſempérque præ oculis habeant tum illud Auguſtinianum:

Hoc possumus, quod jure possumus: tum sapiens illud, planéque Regium Regis Theodahati apud Cassiodorum lib. 1. pronunciatum: *Cùm omnia possimus, sola credimus licere nobis laudanda.*



CAPUT X.

Studium litteraturæ, præsertim Politicæ, Viris Principibus nequam esse negligendum.

PRinceps infra hominem sapit, qui doctrinam non capit. Natura enim Noverca, eruditio Mater est, (inquit Maximilianus Elector Bavariæ in monitis ad filium) Illa nos animalia, ista homines facit. Magnum sanè Viris Illustribus ab eruditione accedit ornamentum. Nam sicut poma aurea in lance argentea sunt conspectiora; Ita Nobilitas litterata

terata est multò illustrior. *Doctrina in Homine plebejo est argentum, in nobilibus aurum, in Principibus Gemma pretiosa.*

Quod cùm probè intelligerent Viri in Germania nostra nobilitate generis conspicui & dignitate Principes, eâ animi contentione in studia literarum incubuerunt, ut inde gloriam nominis consecuti fuerint immortalem.

Sigismundus Baro Herbersteinius, cujus historiam Moschoviticam lectu dignissimam censent eruditi, inter omnes dignitates & honores, tum variis legationibus, tum aliis expeditionibus, muneribus, & laboribus partos, primas semper detulit titulo Baccalaurei; quòd illum non indulgentiâ Principum, nec generis claritudine, sed solis ingenii viribus in Academia Viennensi sibi comparasset.

Everhardus Baro Starenbergius

 Theo-

Theologiæ Doctor, ingenio & doctrinâ sacras infulas meruêre: Ille Salisburgensem Archiepiscopalem, Hic Frisingensem Episcopalem.

Hermannus Hassiæ Princeps, in Academia Pragensi, summâ Cæsaris Caroli IV. & Bohemiæ Procerum congratulatione Magister Artium factus est.

Joannes Dux Megapolitanus ipsos viginti annos Lutetiæ studiorum causâ commoratus, non ante ad suarum ditionum gubernacula reverti voluit, quàm publicè sacrosanctæ Theologiæ Doctor renunciaretur.

Arnoldus & Wilhelmus Geldriæ Duces fratres erant; quorum ille literatus, iste illiteratus: Ille in gratia Regum, & Pauli Pontificis, Iste ob ruditatem neglectus fuit. Quam ignominiam ne hereditariam cum patrimonio in liberos transmitteret Wilhelmus, filios suos ad Academiam Parisiensem missos inde redire noluit,

noluit, priusquam publicis Academiæ testimonijs Magistri Artium liberalium creati essent.

Albertus IV. Dux Bavariæ Academiæ Ingolstadiensis auctor, artium studia eo dignatus est honore, ut non tantùm Ipse adolescens primi gradûs laurum Lutetiæ sumpserit, verùm etiam insignia, quæ Baccalaureos ab alijs Ordinibus distinguunt, publicè per plateas gestaverit.

Est sanè hoc ornamentum doctrinæ Viris Principibus apprimè necessarium; ne semper Cæci ipsi, oculis alienis videre cogantur.

Quemadmodum corpus animâ destitutum non movet, sed movetur; ita Princeps amusus regitur, & non regit.

Mutilus est ille Princeps, qui præcipit, *&* *non* percipit.

Beata quella città, che hà Prencipe chi sa.

Quòd si quæratur, quibus potissimùm disciplinis instructum esse opor-

porteat Principem, ajo Scientiam Politicam, præsertim eam, quæ tradit præcepta Artis imperandi, uti Principe dignissimam, ita Principatui utilissimam, & utrique maximè necessariam esse.

Sed mirum est (inquiebat Sigismundus Imperator) quòd cùm omnes recusent exercere Artem, quam non didicerunt; nemo tamen recuset imperare, tametsi Artem imperandi, quæ est omnium difficillima, nunquam didicerit.

Sed & ego vehementer admiror, nonnullos, qui se moderatores juniorum Principum profitentur, multum temporis impendere tradendis Discipulo præceptis Artis poëticæ, Dialecticæ, Astrologiæ, Musicæ, aliisque sterilibus, & ad bonum publicum parum profuturis scientiolis: de Arte verò Imperandi, à qua pendet Salus Reipublicæ, non admodùm esse solicitos.

Quid

Quid obsecro juvat nosse Principem concordiam harmonicam Vocum musicalium, si nesciat, quibus modis sit procuranda concordia politica animorum inter Principem & subditos? Quid prodest intelligere, quid sit cantus mollis & durus, & non intelligere, qui subditi durâ, qui molli manu tractandi sint? didicisse suspiria Musicalia, & interim suspirare sub gravi onere principatûs, cui ferendo sint impares humeri imperiti Principis? perspectum habere discrimen inter Modos Musicos: Doricum, Hypodoricum, Phrygium, Hypophrygium, Lydium, Hypolydium, Mixolydium, Hypomyxolydium, Æolium, Hypoæolium, Jonicum, Hypojonicum, Hyperæolium & Hyperphrygium; ignorare autem discrimen inter adulatorem & amicum, inter Ministros fideles & perversos, inter leges salutares & noxias, inter fœdera profutura & obfutura?

 Quantò

Quantò utilius est Principi intelligere Aulicorum astutias, quàm Dialecticorum argutias? scire leges bonæ gubernationis, quàm Regulas bonæ definitionis? novisse modum *feriendi* hostes, quàm facere centum sylogismos in *ferio*? callere libros Lipsij Politicos, quàm libros Aristotelis analyticos? loqui de objecto contributionis, quàm disserere de objecto attributionis?

Enimverò Scientia Politica ad Rempublicam bene gubernandam Viro Principi apprimè est necessaria. Cùm enim Princeps non modò Politicus, sed etiam Politicorum Antesignanus sit (certè esse debeat) non oportet eum Scientiæ Politicæ ignarum esse, i. e. Pseudopoliticorum fraudibus circumventus, serò cum Phrygibus sapere incipiat.

Est verò triplex Politica: *Bona, Mala & Mixta*, quæ est Moderna.

Politica bona Theopoliticis potiùs, quàm Cosmopoliticis nititur

prin-

principijs; cùm nihil aliud ipsi propositum sit quàm juxta Regulas à Virtute Prudentiæ dictatas Rempublicam ordinare, honestatem utilitati, divina humanis, cælestia terrenis, bonum publicum privato anteponere.

Politica mala ex dolis, technis, & fraudulentis subdolisque machinationibus composita est, mediisque utitur nullo discrimine *libiti* & *liciti* delectis; dummodo deserviant ad finem intentum, qui est status humanæ & mundanæ felicitatis.

Unde mali Politici sunt paralytici; quia nec habent pedes ad ambulandum in Via Veritatis, nec manus ad operandum in Via charitatis. Mali politici omni vento obvertunt vela desideriorum suorum, &, ut dici solet, duabus sellis sedent. Quod reprehendit olim in *Cicerone* Laberius Mimus, qui in Senatum lectus à Cæsare, cùm ad consessum nō admitteretur à Cicerone, dicente: *Reciperem te, nisi anguste sederemus*, mordaciter

citer respondit, *Atqui solebas duabus ellis sedere.* Quo dicterio lubrica & desultoria Ciceronis fides perstricta fuit.

Politicam modernam non ignorent Christiani Principes, sed tamen ita in praxin usumque deducant, ut scopulos omnes Pseudopoliticos præsertim Macchiavellicos, cautè devitent.

Est autem Politica moderna tota mirabilis & mysteriosa. Eam Primi subsellij Ingenia intuentur, sed non agnoscunt: contemplantur, sed non penetrant: admirantur, sed non comprehendunt. Patet illa omnibus, & tamen omnes latet. Sentitur, & nescitur; occulta est & Publica. Otiari videtur ubi est, negotiari ubi non est. Movet orbem terrarum, & quiescit. Exercet omnia Ingenia & penè omnibus Ingenijs est inaccessa. Liber publicus est, quem dum Politicæ Veteris Sectatores evolvunt, semetipsos involvunt. Anteverit illa suorum

hoſtium machinamenta, quia Ingenia eorum novit: metitur ingenia, quia excedit illa: eludit inſidias, quia detegit illas: evitat pericula, quia proſpicit illa; impedit facienda, quia prior oppoſita facit.

Verſatur Politica Moderna potiſſimùm circa *Intereſſe* (ut vocant) quo nihil eſt inter homines mundanos appetibilius.

Intereſſe videtur in hoc mundo Primum mobile *eſſe*. Appoſitè Itali *Ognun tira l'aqua al ſuo molino. Ogni galeotto voga à ſe.*

Porrò *Intereſſe* aliud eſt Politicum, aliud Pſeudopoliticum.

Intereſſe Politicum eſt laudabile, quia refertur ad incolumitatem Reipublicæ, neque divinis humaniſque legibus adverſatur.

Pſeudopoliticum *Intereſſe* nihil eſt aliud quàm à DEO *Abeſſe*, Diabolo *Adeſſe*, Nemini *Prodeſſe*, Plurimis *Obeſſe*, Officio ſuo *Deeſſe*, Subditis malè *Praeſſe*, Legibus nolle *Subeſſe*.

Inni-

Innititur Pseudopoliticum *Interesse* principiis Antichristianis, & Diabolo inventore dignissimis. Quorum aliqua (ut ex ijs noscantur cætera, & hi tot animarum naufragijs infames scopuli tantò meliùs evitari possint) hic libet commemorare.

1. Reges non curent, quàm bonis sed quàm subditis imperent.

2. Principes non jubeant dura, non prohibeant impura; si ad incrementum potentiæ & Imperij expediat.

3. Ille optimè scit regere, qui mala scit optimè tegere.

4. Fidem nulli omnem tribue, nulli non videaris tribuere.

5. Amico utere tanquam hoste futuro: hoste tanquam amico.

6. Ille politicè agit cum amicis, qui putatur se totum in sinum illorum effundere, & tamen totus latet.

7. Illorum officiorum sis ubique largissimus, quæ verbis absolvuntur. Blandè saluta, copiosè lauda, pollicere li-

re liberaliter nunquam largienda. Nonnunquam etiam munusculis alterius benevolentiam tibi necessariam compara; modò hamo non piſceris aureo.

8. Neminem inimicum quàm amicum malis; nullique ſis apertè injurius, ſed iram potiùs comprime, donec vel tectè vel ſecurè nocenti nocere poſſis.

9. Religionem ad Regionem non Regionem ad Religionem accommodare oportet.

10. Non multum intereſt ad Reipublicæ quietem, cujus Religionis cenſeantur incolæ; dummodo non diſcrepent hac in re ſententijs in apertum prolatis: ex hac enim diſſenſione ſeditiones oriri proclive eſt.

11. Ratio Statûs eſt unicum Idolum quod Princeps adorare debet.

12. Prima Principi ærarij locupletandi cura ſit. Artes non deerunt favoréſque Procerum; modò ipſi in partem commodorum veniant. Nemo

mo tutiùs regnat, aut militat certiùs, quàm qui pecuniæ habet plurimum: undecunque demum ea conquisita fuerit.

13. Nulla pacta, nulla fœdera, etiam jurejurando firmata, obstringunt Principem, nisi inde sperata proveniat utilitas.

14. Fraudibus (sed Magnis) rem suam augere, Regium reputatur. Unde falsè & arguté Boccalinus ait, fumum, vendere privatis interdictum, solorum Regum Mercaturam esse.

15. Omnes lineæ actionum Regiarum concurrunt in unum centrum, quod est evacuare socij loculos, & inde replere suos. *Dictum Boccalini cent.* 1. *cap.* 3.

16. Principes, qui occultas simultates inter se gerunt; ad eas contegendas, debent sibi mutuis donis & legationibus nova Regna, conjugia, Victorias, natum Regni heredem, reciprocè gratulari; & omnia benevoli animi signa utilissimâ simulatione præferre.

17. Pri-

17. Privatorum est eligere Matrimonia ex amicitiæ affectu, vel morum concordia. Regibus ista suavitas exuenda est. His affinitates pulcherrimæ censentur, quæcunque Regnum stabiliunt.

Carolo VIII. Galliæ Regi Margarita Maximiliani Imperatoris filia desponsata erat: quàm Ille, cum jam aliquot annis in Gallia commorata esset, non aliam ob causam repudiavit, quam ut Annam, cum amplissima dote Britanniæ Armoricæ, quæ morte Patris sine Mascula prole defuncti, ad eam devolebatur, uxorem ducere posset. *Guicciard.* 1. *histor.* Quàm denique Viduam factam Ludovicus XII. repudiatâ priore Uxore, quæ Caroli VIII. soror fuerat, eandem ob causam sibi Matrimonio copulavit: quæsito colore, quasi prior illa ingratijs sibi à fratre desponsata fuisset, *Boccalin. centur.* 2. *cap.* 87.

18. Reges, ut decipiant specie amicitiæ, matrimonia concilient, vel

con-

contrahant affinitates (si id comoditatis utilitatisq; ratio exposcat) cum ijs, quos eversos cupiunt.

19. Jurisconsulti & Theologi (*Concilium Conscientiæ vocant*) venalem stylum & linguam habeant, suorúmque Principum propensioni utrumque accommodent.

20. Principes, si possint, eos sibi successores designent, qui vitæ morúmque perversitate majora prædecessorum vitia quodammodo obnubilent.

Ita Augustus Cæsar imperium tradidit Tiberio, homini sanguinario & perversissimè subdolo, ut ipse desiderabilior fieret. *Sueton. in Tiberio c.* 21. Ipse quoque Tiberius gavisus dicitur, succedere sibi Caligulam; à quo flagitiorum suorum memoriam scelerum magnitudine delendam sperabat. *Dio Cassius lib.* 58.

21. Ut proceres in officio contineantur, caveatúrq; ne caput altiùs attollant, à Principe humiliandi ac depri-

primendi sunt; idque fiet, si tituli Baronum, Comitum, Ducum, &c. quibus ipsi gloriantur, novis & vilibus hominibus, sub prætextu meritorum, conferantur. Evilescent enim illa grandia nomina multitudine & ignobilitate candidatorum.

22. Illi, qui sunt seditionis auctores; ut spes omnis reconciliationis procul amandetur; & ut Tacitus loquitur, 4. *histor. quò minore spe veniæ crescat vinculum sceleris*; debent aliquo insigni facinore multitudinem malesanam obstringere: ut ne quidem si affulgeat aliqua spes redeundi in gratiam cum Principe, aut offensâ patriâ acceptare eam liceat; obversante oculis horribili sceleris conscientiâ.

23. Laudandi sunt apud Principem, quos ab Aula remotos, aut plane perditos cupimus. Nam laudibus præmissis præparatur auris Principis ad audienda, & animus ad credenda maligna, quæ ille ex laudatore

factus vituperator & accusator, de homine priùs laudato narraturus est.

Ita Apelles, omnium secretorum Philippi Macedoniæ Regis arbiter, præcipuæ auctoritatis viros laudando; quòd dignissimos esse diceret, qui in castris versarentur; periculis & casibus dolosè objectavit. *Polybius lib. IV.*

24. Rapacissimum quemque ad amplissimas præfecturas promoveat Princeps: eo fine, ut eos rapinis satiatos, opibúsque ditatos, velut spongias aquâ plenas comprimere, & succum exprimere valeat. Id sæpius factum à Vespasiano Cæsare, testatur Suetonius.

Atque hoc artificium aliam insuper habet annexam utilitatem. Cum enim frequentissimæ sint populorum, ob tributorum acerbitatem, avaritiámque Principum rebelliones; non est accommodatior ratio sedandi illas, quàm si sævienti populo, isti exa-

exactionum tributorúmque novorum inventores objiciantur.

25. Primum & Principale Instrumentum, quo Principis animus ad audiendi patientiam disponitur & præparatur, est adulatio (sapidissima humani Ingenij esca) quâ persuadeatur Principibus, eos solos sapientes, solos rerum & consilij potentes esse.

Hæc dictamina *Interesse* pseudopolitici regulativa redolent officinam Tartaream, in qua cusa sunt: & ideo non politica, sed Antipolitica, & Christianæ legi è diametro opposita sunt, meritóque Antichristiana, & ipsi Interessentes Pseudopolitici (liceat mihi hoc barbaro vocabulo barbarum genus hominum appellare) Antichristiani, hoc est, Antichristi asseclæ & sectatores appellari possunt.

(o)

CA-

CAPUT XI.

Quod Princeps amicos sagaciter eligere, electos prudenter conservare debeat.

IN omni Vita tam utiles, quàm necessarij sunt boni amici.

Amicus sincerus thesaurus verus. Chi fà un buon amico, acquista un buon capitale. Melius est habere amicum sine pecunia, quàm pecuniam sine amico.

Quot habes amicos, tot habes oculos, quibus quæ velis videas: tot aures, quibus quæ velis, audias: tot Consiliarios, quibus quæ velis consultes.

Porrò conservaturus amicum, quem habet, & comparaturus quem non habet, sequentes regulas præ oculis habeat.

Prima. Tu omnia cum amico delibera, sed de ipso priùs.

Secun-

Secunda. Neque nulli ſis amicus, neque multis. Cato in annuli ſui gemma inſculptam habuit hanc gnomen: *Amicus unus, inimicus nullus.*

Tertia. Per humanitatis officia, & liberalitatis beneficia, comparatur amicitia.

Un bonnet (ajunt Galli) *par an plus ou moins de Papier blanc une ou deux mains, & par fois un ver de vin, font acquerir deſamis maints.*

Volunt dicere Galli, tribus rebus comparari amicitiam: *pileo, vitro, folio chartæ.* Pileo, perhumaniter amicum ſalutando: Vitro, hauſtum bonum ei propinando: Folio chartæ, literas illi miſſitando.

Quarta. Amicus fraudulentus præ omnibus cavendus.

Da chi mi fido, guarda mi dio: da chi non mi fido, mi guardarò io.

Quinta. Amicus verus cernitur *Amore, more, ore, re.*

Sol di parole amico non val un fico.

Sexta Amicitiæ ſimulatæ indubitata nota eſt diſſenſio cordis & oris.

Amicitia ſimulata in ore mel, in corde fel.

Baccio di bocca ſpeſſo cuor non tocca.

L' huomo baccia alle volte le mani, che vorebbe veder tagliate.

Septima. Amicitia inter pocula contracta, plerumque ſolet eſſe Vitrea.

Octava. Illa amicitia eſt fucata, quæ incipit exſpirare, quando Fortunæ Favonius deſinit ſpirare.

Tales amici ſunt ſimiles argento vivo, quod amicitiam quandam contrahit cum auro, eique tenaciter adhæret: ſed cùm Aurifaber probaturus aurum, illud in fornaculam conjicit, argentum vivum vertitur in fumum, & aurum deſerit. Ita comparatus eſt *amicus, ſolo nomine amicus.* Eccleſiaſtici c. 6. *Eſt enim amicus ſecundum tempus ſuum, & non permanebit in die tribulationis.* Ibidem cap. 37.

Nona. Amicitia, si vera est, parit duos gemellos, *Amorem* & *Dolorem*: hunc in rebus adversis amici, illum in prosperis pariter & adversis.

Decima. Rebus secundis amici parantur, adversis probantur.

Amici molti havrai mentre ricco sarai.

Undecima. Amicum honora, in præsentia, lauda in absentia, juva in indigentia, sic permanebit in benevolentia.

Duodecima. Amici non debent esse supputatorij Calculi, qui interdum valent multa millia, interdum nihil.

Decima tertia. Amicitiæ nutrimenta sunt munera.

Si mihi das, tibi do: si nil das, nil tibi reddo. Sic Verbum DO DAS *nutrit amicitias.*

Decima quarta. Ille amicus parum diligit *me*, qui multum diligit *meum.*

Non è vero amico di te, chi si mostra troppo amico del tuo.

CAPUT XII.

Quòd Principes magnam ærarij locupletandi curam habere debeant.

NObilitati universim ingens æstimationis pondus adjicit opulentia, adimit indigentia. *Nobilitas egena est pulchra, sed vacua crumena. Nobiltà poco si prezza, se vi manca la ricchezza: Colore ch' hanno ducati, signori son chiamati. Chi hà fiorini, troverà cugini.*

Præcipuè tamen necessariæ sunt opes Viro Principi, qui ad conservationem statûs sui multis indiget adminiculis, absque auro argentóque nequaquam comparandis.

Opes ideo appellantur opes, quia opitulantur in multis, & ad multa.

Non sunt igitur opes negligendæ Principi, ne suam ipse dignitatem neglexisse videatur.

Sine

Sine ærario Princeps vivit precariò: imò est pila omnium vicinorum.

Defectus ærarij causat *Indigentiam*, & *Dependentiam*: quæ sunt duæ crassæ nubes, quibus spendor Majestatis plurimùm obscuratur.

Ad quæ incommoda evitanda, Magni Duces Hetruriæ magno semper studio locupletare ærarium consueverunt. Asserunt aliqui pro comperto, ex relatione cujusdam Legati Veneti, prædictis Principibus tantum pecuniæ numeratæ congestum & in omnes occasiones conditum asservari, quantum vix apud alium Europæ Principem reperiatur. Certè mortuo Francisco Cosmi I. Ducis filio, centies centena aureorum millia in ærario fuêre reperta: & pretiosæ supellectilis tantum, ut vicies centenis aureorum millibus sit æstimatum. Ferdinandus deinde Francisci frater, quique Ferdinandum secuti sunt Duces, in immen-

ſum relictas à Deceſſoribus opes ac-cumulârunt.

Illi ſunt Magni Magnates, *qui habent Magnos auri* Magnates.

Hujusmodi inter alios eſt Rex Galliæ: in quo Regno res quatuor ſupra opinionem hominum mirificè abundant: *frumentum*, *vinum*, *linum*, *ſal*: quæ à Botero non ineleganter *Galliæ Magnetes* appellantur. Ut enim magnes (non tamen omnis, ſed cæruleus, & præſertim Æthiopicus, cui laus ſumma tribuitur, pondusque argento rependitur) domitricem illam rerum omnium materiam ferrum attrahit, ſiſtit & complexu tenet; ſic iſti Gallici Magnetes, qui Æthiopicis tantò ſunt meliores, quantò Gallia eſt nobilior & cultior Æthiopiâ, omnem extraneorum pecuniam, omne aurum & argentum ad ſe trahunt, & Galliam conſtituunt, quaſi Theſaurariam Orbis univerſi.

Quòd ſi reliqui *Magnates* hujus-

modi

modi auri *Magnetes* in Regno vel Territorio suo non habeant, suppleant defectum industriâ; præcipuéque caveant ab ijs, quæ non nisi ad minuendum exhauriendúmque ærarium deserviunt.

Sunt autem sex ærario perniciosa: *Consilia bellicosa, ædificia sumptuosa, donativa pretiosa, Natura litigiosa, vita luxuriosa, mensa gulosa.*

Hoc postremum experti sunt Comes quidam Werdenbergensis, & Domina Pfullendorffensis: quorum ille libis dulciarijs (libetas vocat Felix Fabri *Histor. Suevic. lib. 3. c. 4.*) quæ accipiebat ab Ulmensibus, Albeccensem Comitatum insumpsisse: Hæc verò Arcem & oppidum abliguriviſſe fertur meris trutarum jecinoribus. *Crus. Annal. p. 2. l. 9.*

Constitueram præsentis materiæ telam inciso dissertationis filo abrumpere, sed quoniam res est ad incrementum boni privati publicíque non minùs necessaria, quàm lucrosa,

ideo pleniorem hujus argumenti pertractationem annecto, ex qua perspicuè intelligere licebit, quibus modis varij Principes ærarium suum locupletaverint, opésque ingentes conquisiverint.

Ac primùm quidem permulti Principes & auxerunt olim, & augent etiamnum suas opes per moderatam honestamque parsimoniam.

Magnæ opes non tam accipiendo colliguntur, quàm non prodigendo.

Detractio superfluarum expensarum est innocentissimum ærarij incrementum.

Hoc parsimoniæ præsidio adjutus Henricus III. Rex Hispaniæ brevi opes comparavit amplissimas, teste Roderico Sanctio, cujus verba subjicio. *Quod non parum*, inquit, *admirationi fuit, parvo tempore amplissimum aggregavit thesaurum non sibi, sed bello contra Arabes diffundendum: quanquam ad fisci sui commoda non esset ad-*

set, admodum affectus, dicens illud Constantij Imperatoris, longè meliùs publicas opes à privadis possideri, quàm intra Unum claustrum reservari: addens, ditissimi Regni Regem, inopem esse non posse.

Alij Principes, per magnam artium mechanicarum in sua ditione curam, magnum thesauro suo auctarium adjiciunt. Habuit, teste Lampridio hanc curam Alexander Severus, qui *mechanica opera plurima Romæ instituit: negotiatoribúsque, ut Romam volentes concurrerent, maximam immunitatem dedit.* Imitentur Principes hunc Alexandrum, felicibúsq; mechanicarum Artium successibus studeant, peritos in eo genere foveant, prœmijs etiam illos invitent. Nec evocare è vicinis remotísque regnis, immunitatibus quibusdam concessis, pigeat. In his fortunæ Regnorum magnâ sui parte consistunt; neque alia res certiùs Principis ærarium locupletat, neque

majorem negotiationum, merciúmque orbe toto invehendarum, evehendarúmque materiam præbet, neque quidquam; ab extremis etiam terrarum, pecuniâs, merciúmque genus omne, potentiùs evocat: ita ut quod genitum est usquam, id omne in uno regno natum videatur. Crescit deinde Provincia crescentibus artibus, non ærario tantùm & opibus, sed hominum etiam multitudine: è quibus & robur additur regno, & regia Vectigalia insigni passim incremento crescunt; è populi enim multitudine, ferme publici ærarij magnitudo pendet. Advocet igitur Princeps in ditionem suam quarumcunque artium peritos, animet indultis, muneribus etiam alliciat, certisque prærogativis exornet, ut venire velint & audeant, cúmque meliorem patriam in fortunatiore ac opulentiore invenerint, patriæ obliciscantur. Nec grave hoc erit, cùm Patriæ ob-

livio-

livionem opes inducant, & illa patria habeatur, in qua cum opibus commoda & honores creverunt.

Nonnulli principum rem suam egregiè augent, dum nec extra ditionem suam patiuntur fieri, quod in Ea fieri potest, nec efferri industriæ materiam, nec inferri ea, quæ ex mutuatitiâ à se materiâ confecta sunt. Hanc industriam non ignorat, sed mirum est, quòd non amplectatur, Hispania. Illa serico & lanâ dives est, & à remotis Regnis laneas sibi sericásque mutuatur Vestes, Regnorum aliorum emolumento magno, damno suo non minimo. Permittit domi suæ nata efferri, ut majore inde prætio revehat. Posset Rex Hispanus Hispaniæ suæ de panni serici laneique textoribus prospicere: è quibus regia crescerent vectigalia, nec tanta populorum solitudo regnum teneret; posset quoque domi suæ parata, ad Regna alia trans-

mittere, & vario Regnum suum lucro beare. Nunc autem fœcunditatem felicitatemque suam ultrò abjicit, & pretiosam byssum nobilemque lanam alienis elaborandam textrinis emittit, atque ita seipsam proprijs commodis opibúsque, quas benigna profundit tellus, denudat, ut alios, etiam hostes, locupletet. Sed desunt, inquiunt Hispani, quibus textile illud opus credatur. Non desint Artifici sua præmia, & quædam, etiam non noxiæ Regno immunitates, & non deerunt ultro operam suam spondentes. Quod dixi de Hispania, de aliis etiam Regnis intelligendum est: nisi tanta rerum quarundam copia sit, ut omnem Operarum manum vincant; Quod ubi fit, pars aliò mandari poterit, sed ita, ut sua Regi & Regno emolumenta constent, ne, dum alij beantur, frustrentur ipsi. Miserum sanè, & fatuitatis quoddam genus, te nudare, ut alium vestias.

stras. Sed nimirum Magna ferè Regna (inquit Scribanus in politico Christiano) vel ipsâ magnitudine suâ, ad nescio quæ improvida labuntur; quasi sub ingenti mole fatiscant genua. Ita cùm orbem propè universum auro, argento, gemmis lassent Hispani, Regnum ipsi suum ære fatigant ignobili? & pro auro argentóque, æs illis ab hoste cusum est; cúmque divitiarum suarum reconditoria ære onerent, cacabeis gloriari opibus possunt: fors nec multò pòst plumbeis, exinde etiam ligneis, aut boum tergoribus. Remedia huic malo suggesta non semel, ut nesciam, quorum hìc ludat Magnorum manus: Inter tot magna ingenia, tot selecta Regia Concilia, æri pellendo, vel non repertum, vel non admissum consilium est. Aurum video totâ propè Hispaniâ exulare, æs imperare, quis credat? Hæc Scribanus.

Quidam Principe innoxiè ditescunt per auri argentique fodinas, quas per idoneos homines, reique metallicæ benè peritos, in territorio suo indagant. Hi imprimis metallorum Venas aperire ac detegere solent, indicio à torrentibus desumpto. Observant illi Venarum fragmenta, quæ torrens è terrâ eruit. Si enim ea supra terram jacuerint, aut sint levia, signum est, Venas ab ipsis plerúmque longiùs abesse, propterea quòd torrens ea extracta, procul à Venis abripuerit, & dum ea propelleret, levia fecerit; si verò terræ infixa, vel aspera fuerint, haud procul aberit vena. Deinde considerant & observant pruinas, quibus herbæ omnes candicare solent, his exceptis, quæ crescunt supra Venas; Hæ enim emittunt exhalationem calidam & siccam, quæ exhalationis humidæ concretionem, & consequenter pruinam impedit; quocirca tales herbæ magis

made-

madeſcunt aquis, quàm pruinis candicant; quo igitur loco herbæ humidæ non congelant, ſignum eſt ſubeſſe Venam; quæ ſi ſpiraverit valdè calidum, ea terra fert herbas humiles, & coloris non Vivi. Obſervant quoque arbores, quarum folia tempore Veris ſub cærulea vel livida ſunt, inprimiſque ſuperiores rami infecti nigrore, aut aliquo alio colore non naturali, ſtipites bifidi, & ſimiliter ut rami, nigri vel diſcolores. Hi enim ſunt effectus halituum metallicorum valdè calidorum & ſiccorum, qui ne radicibus quidem arborum parcunt, ſed eas adurunt, penitùſque infirmas reddunt; quâ de causâ vis ventorum ſæpe exſtirpat tales arbores; Venæ autem ſub arboribus latentes, uti calidorum ſiccorúmque halituum, ſic provenientis inde ruinæ, & eradicationis arborum cauſa ſunt. Quo igitur loco (inquit Agricola *lib. 2. de re metallica*) multæ

arbores

arbores longo quodam ordine dispositæ, alienissimo tempore ammittunt viriditatem, & nigrescunt, aut decolorantur, crebróque ventorum impetu quatiuntur & impelluntur ad casum, ibi subesse venam existimandum est. His alijsque industrijs detectæ venæ metallicæ, si uberes & opulentæ sint, paucorum annorum spatio ærarium Principis considerabili accessione thesauri locupletabunt.

At sunt nonnulli, qui sibi persuadent, rei metallicæ tractationem minùs decere Principis dignitatem, propterea, quòd Ars metallica videatur esse sordida, vel saltem minùs honesta. Ex multis enim privilegijs, quibus meritò fruuntur milites, illud non est postremum*, quòd in metallum damnari non possint, nec in opus metalli, *l. moris est, § sed enim, ff. de pœnis, & l. desertorē ff. de re militari*; quasi verò ea pœna usque adeò probrosa

sit,

ſit, ut in hunc præclariſſimum Reipublicæ gradum, militiam inquam, cadere nequeat; quis ergò Artem metallicam referat in chorum honeſtarum Artium? Adhæc Campſores, quos vulgò appellamus, id eſt, Trapezitas, Collybiſtas, Nummularios, Menſarios, aut ut alij vocant, Argentarios, inter viles perſonas reponit Jus Civile, *l. ſi cohortalis, C. de Cohortalibus. lib.* 12. Idem ſtatuit de Monetarijs, qui cudunt nummos; ita ut etiam mulieres nubiles his nubentes, ſibi, Liberiſque ſuis decus nobilitatis amittant, *l.* 1. *& l. edicimus, C.de murilegulis & Monetarijs,lib.* 11. Si ergò viles, qui tractant metalla pura, & defœcata, quomodo non viliores, qui fodiunt illa impura, fœda & fæculenta?

His reſpondendum eſt, Arti metallicæ competere plures functiones: alias quidem primarias, ut contemplari naturam & affectiones metallorum,

lorum, marmorum, gemmarum, lapillorum &c. illiſque uti velut myſticis ſignis, ad ſymbolicam ſapientiam capeſſendam, & intelligenda veterum Heroum ſymbola, per certa metalla & gemmas deſignata, iiſque inciſa; aliàs ſecundariæ æſtimationis, ut ſumptus facere in metallicas foſſiones, præeſſe per rationes architectonicas fodiendis venis, denique ſuccidere nemora, agere cuniculos, ducere foveas, colles, montésque effodere ad ſcrutanda, erudendáque metalla. His perſpectis, omnia adverſariorum tela poſſunt unico infringi ictu, & quidem facillimè, ſi nimirum dicatur, Artem metallicam ſpectatam ſecundùm quatuor priores, quas retuli; functiones, nihil continere abſurditatis, vel indecentiæ. Si verò conſideretur juxta poſtremam functionem, poſſe eam hic quoque, adhibitâ diſtinctione idoneâ, ignominiæ eximi, nempe ſordes agno-

ſcendo

ſcendo in fodientibus per ſe ipſos affectu ſervili, ob quæſtum mercenarium, negando autem eas in illis, qui per alios id præſtant, vel etiam per ſe ipſos, ſed mente herili, ad modicum tempus, & quidem non quæſtûs, ſed animi gratiâ, præſertim ubi id ingenuis permittit conſuetudo.

Porrò ejus ſententiæ, quæ Artis metallicæ honeſtatem propugnat, acerrimum habeo patronum Agricolam, qui *Lib.* 1. *de re Metallica* ſic ratiocinatur: Cujus Artis quæſtus non eſt injuſtus, nec ſordidus, illam poſſumus reputare honeſtam: at metallica non minùs quàm agricultura (quam honeſtam eſſe fatentur ſapientes) excluſo quæſtu ſordido & injuſto, auget rem honeſtis rationibus: jure igitur inter honeſtas reputatur artes. Deinde qui dant operam rei metallicæ, triplicis ſunt generis; vel enim ſumptus faciunt in metalla; & inter hos numerari poſſunt Reges, Principes,

Res-

Respublicæ, & honestissimi quique cives; vel sunt Artis metallicæ periti, seu metallorum Præfecti; atque hos ingenuos esse, liberos & honestos, testantur tum Thucydides, nobilis ille historiarum scriptor, quem Athenienses præposuerunt Thasiorum metallis; tum alij cives, quos hac arte locupletatos in album Nobilium retulerunt Maximilianus Cæsar, & Uladislaus Rex; vel sunt ipsi Operarij fodiendo dicati; & ne hi quidem viles & abjecti sunt existimandi; quippe qui nocturnis æquè ac diurnis vigilijs & operibus exerciti, assuetique tractare ferramenta, fossas ducere, agere cuniculos, machinas fabricare, onera ferre, &c. labores & munera militiæ strenuè sustinent; Ideóque à rei militaris peritis non modò Urbanæ, sed etiam Rusticæ Plebi præferuntur. Hactenus Agricola.

Ab alijs principibus ac Rebuspublicis nonnullis usurpatur piscatio,

tiò, tanquam honesta & idonea ratio, ingentes divitias comparandi. Testes hujus pronuntiati, præter alios habeo, potissimùm Anglos & Hollandos, quibus sola piscatio halecum tam est lucrosa, ut ærario implendo sufficiat. Porrò haleces nusquam inventæ sunt, nisi in mari septentrionali. Earum piscatio quondam fiebat in mari Balthico ad Rigam Livoniæ; hinc, sive ob accolarum scelera, sive ob quam aliam causam, certè DEI nutu, in Pomeraniam pisces illi commigrârunt, inde in Gothiam circa vicum Falsterbij; ubi, teste Saxone Grammatico, tanta eorum erat copia, ut manu caperentur; imò sic ijs opplebatur sinus ille, ut ægrè à nautis sulcaretur, ex eo loco in Norwegiam transnatàrunt, ad insulam Malstrand, demùm in Oceanum influxerunt ad Scotiæ partes Boreales, quò jam à sæculis aliquot, Galli, Angli, Belgæ, Dani ad 400. plerúmq; navigia,

gia,

gia, piſcationis gratia adducunt. Imò *Theodorus Grasvvinckel in Vindiciis maris liberi adverſus Burgum*, bis mille naves ad piſcationem à Belgis expediri ſcribit. Prima inſtituitur ad Orcades Inſulas à feſto S. Joannis Baptiſtæ uſque ad menſem Auguſtum: Altera circa Germu à medio Septembri. Tertia demùm à Feſto S. Lucæ uſque ad Chriſti natalem: Caletum inter, & portum, quem Gratiæ dicunt. Turmatim haleces affluunt, eâ ſerie, ut decem, vel duodecim in longitudine, duas tréſve in latitudine leucas occupent: tametſi 30. aut 40. orgyas longæ ſint. Sola halecum piſcatio in annos ſingulos ſupra ſeſqui millionem auri: cabillavorum haud multò ſecus; Salmonum binos milliones ærario Holandico infert: Nam è loco, in quo peragitur piſcatio, non modò per Europam Univerſam, verùm etiam in remotiſſimas Orientis & Occidentis

dentis regiones, imò & in Indias ipsas dispergunturr; quà militibus in castris: quà navigantibus in mari: quà civibus in oppidis annonam præbentes salitæ: delicias recentes.

Est autem tanti lucri, quòd ex captura halecum percipitur, causa duplex: copia & bonitas. De copia Paulus Neucrantzius Rostochiensis Medicus *in Exercit. medicâ de harengo c. 3.* sic scribit: fidem testor nostrorum piscatorum, haleces interdum tantâ copiâ subire ostium nostri fluminis, oràsque maris, ut extra retia (quæ alia post alia extenduntur, quò totum agmen piscium; quòd plus quàm 40. Lastas aliquando implet, concludant) manu atque urceis à pauperibus extrahi possint. Ne dicam quod omnem fidem superat, & tamẽ verum est; Bergis Norwegicis, greges halecum cumulatissimos se aliquando in portum & vicina littora ac scopulos recipere, ut remus immissus stet, maneatq; immobilis:

mobilis : quòd tum præcipuè circa Norwegiam evenire memorant, si gravi tempestati se subducant, aut Balæna eas persequatur, quæ ingentem acervum piscium hiatu absorbet. Et paulò superiùs in principio capitis, halex, inquit, est piscis gregalis, sequitúrque maximo numero Ducem suum, præ cæteris corpore decorum. Neque enim ullus grex caret duce, teste Aristotele *lib. 8. histor. animal. cap. 13.* Ducem verò illum si bonâ fortunâ interceperint piscatores, plerúmque tantam retibus concludunt halecum multitudinem, ut retia ingentia non sint illis capiendis, & funes eorum aliquando incidi oportuerit, cùm ob inclusam multitudinem extrahi non possent. Ita Neucranzius, qui etiam ex Schockio *lib. 8. Belg. fœderat. cap. 2.* asserit, plùs quàm viginti millia hominum in sola Hollandia ac Selandia harum pecudumm arinarum capturâ cæte-

rarúmque

rarúmque rerum ad piscationem & salsuram pertinentium, ministerio occupari, qui eo labore solo, se suásque familias sustentant.

Atque ut copia halecum est permagna, ita bonitas earundem est admodùm exquisita. Illud ausim affirmare (inquit *Neucrantius citatus cap. 6.*) halecem recens captam, succulentam ac lætam (qualis apud nos Decembri ac Januario observatur) ad generosum truttarum saporem, quæ in gelidissimis alpium torrentibus degunt, & cæteris omnibus piscibus ab Athenæo præferuntur, proximè accedere. Concoctu quoque facilis est, ob carnem tenerrimam, quæ vel à modico calore digeratur. Idem Auctor *cap. 7.* ait halecem electissimæ bonitatis omnes & singulas notas, à medicis, aliisque rerum naturalium peritis (ne dicam deliciarum culinarium arbitris) requisitas, exactè referre; tum quòd carnem habeat extra controversiam teneram, mollem & friabilem; tum

quòd ſit ſapore ad guſtum ſuaviſſimo; tum quòd pinnis ſquamíſque prædita ſit, quas medici in laudatiſſimis piſcibus requirunt; tum quòd ventriculum non oneret, faciléque digeratur, & brevi tempore per alvum deſcendat: ut proinde etiam otioſis, ſenibus, imbecillibus, ægrotis, & convaleſcentibus in cibum tutò offerri poſſit, tum denique, quòd alij piſces butyrum, oleum, aromata pretioſa aliáque condimenta, quibus guſtui ſe commendent, requirant: halex verò ſolâ ingenitâ bonitate placeat, ſive elixa, ſive aſſa, ſive ſalita: ſive paſſa, ſine aliorum ſaporum condimento, quod nolentes ad edendum invitare poſſit, dummodo recens ſit, neque fœturâ, & præviâ in venerem ſolutione contabuerit. Venus enim, ut in aliis animalibus, ita & in piſcibus luxuriantem illum per totum corpus ſuaviſſimum ſuccum abſumit, carnémque flaccidam & exſuccam reddit. Concludit demum Neucrantius

ſuam

ſuam de halece opinionem his verbis encomiaſticis: Contuliſſe in harengum, ſive halecem, cunctas dotes natura videri poteſt, quas alijs piſcibus ſigillatim conceſſit: ut tot rationum ſolidis fundamentis gloriâ generoſiſſimi piſcis aſſertâ & vindicatâ, principem inter piſces locum is merito ſummóque jure teneat, ac dudum coronari meruerit.

Alios Principes locupletat Provinciarum & urbium, quibus imperant, populoſitas; ab hac enim numerus Capitum contribuentium, ab iſto ærarium augetur. Ex hoc fonte tot rivi aurei theſaurorum Gallicorum promanant. Gallia populentiſſima, eadem & opulentiſſima eſt. Ludovicus XI. Rex Galliæ, teſte Budæo *de Aſſe lib.* 4. dicere ſolebant, pratum ſe & graminoſum, & latè patens habere, quódque toties fieret reſtibile, quoties fœniſecæ videretur opus eſſe. Franciſcus I. dictitabat ſe chryſomallas oves,

aureo vellere opimas, latifundiis suis pascere, toties attonsiles, quoties Pastori videretur, lanâ interim succrescente perenniter, ac mirâ fœcunditate tonsuræ damnum reparante. His loquendi modis Reges illi declarabant opulentiam regni sui: quæ tamen pro diversitate temporum diversa & inæqualis, imò aliquando nulla fuit, teste Polydoro Virgilio *histor. Anglic. lib.* 26. Quando videlicet Aurelianensium & Burgundinum factiones, Anglos in Galliam attraxêre, qui sæpius prælio victores, Francorum Regiam, júsque Regni ad se transtulêre: & Rex Joannes ab illis captus, libertatem suam tribus librarum Turonensium millionibus redimere, & quidquid in Aquitania possidebat, aliásque multas civitates & arces tradere coactus fuit: ad eam egestatem redacto Regno, ut monetâ coriaceâ, argenteo clavo infixo, per aliquot annos uteretur. Magis prosperæ res Gallorum erant tempore Caroli VII.

qui,

qui, ut testatur Cominæus, duos Francorum milliones annuos è Regni sui vectigalibus colligebat. Ludovicus XI. ad quinque milliones proximè accessit. Henricus IV. Avus Moderni Regis, triennio antequam interficeretur, unum & triginta milliones exegit. Ludovicus XIII. Henrici filius, ut à Jo. Francisco Biondo scriptum invenio *in proœmio Historiæ Anglicæ*, quinque & quadraginta millionum receptione quotannis ditescebat. Et ante annos non multos fama percrebuit, ad bella diversis mundi partibus inferenda, octoginta librarum Turonensium milliones ærario Regis fuisse illatos. Tanta vis opum populositati, seu frequentiæ populi Gallicani (licet non soli) à Gallis tribuitur. Sunt, qui sibi persuadeant, tres hominum milliones solam Lutetiam incolere; cujus urbis magnitudinem cognoscere licet ex hodiernis suburbiorum Parisiensium ruinis, quæ, teste Cornelio à Lapide *in Jonam Pro-*

 phetam

phetam cap. 3. octo leucarum ambitum superant. Neque minor est civium opulentia, quàm populi frequentia: & utraque certat cum urbis magnitudine. Nemini ignotum est (inquit Gramondus *in hist. Gall. lib.* 2.) Europæarum Urbium Lutetiam esse facilè Principem: non alia nomine major, non ambitu; seu populus, seu urbē componunt immensa spatia, Regijs ædificijs distincta, crescit, & augetur in dies plus æquo urbs impatiens sui, adeo ut periculum sit, ne mole ruat suâ, aut in ruinam agat aliquando, quam spoliat, Galliam. Non alibi urbs opulentior; seu opulentiam incrustatum parietibus aurum, & marmora omnis generis, seu faciunt cives in regiam amplitudinem aucti. Illic præcipuo in cultu supellex curiosa; illic auri copia ingens facti, infecti: memorant, qui apprimè norunt urbem, auri in Hispaniâ cusi plus haberi Lutetiæ, quàm in tota Hispania. Quid gazam, quid

gemmas, quid pretiosa peristromata memorem, auro distincta & serico? optimè quis dixerit, Lutetiam magis orbem esse, quàm urbem, adeo effundit se Orbis Universus illustrandæ, ornandæ. Hæc Gramondus.

Quid dicam de Belgio Orbis gemmâ, Europæ ornamento? Carolus Scribanus in Politico Christiano illud alloquens, eximiam ejus opulentiam his verbis describit: Urbium elegantiâ, nitore, divite & concinnâ suppellectile, roboréque & numero, quidquid ubique Regnorum est, vincis. Plures sanè ambitu non magno tuo urbes complecteris magnas, locuplete undique populo insessas, quàm quà latissimè patent Italia & Gallia simul, Anglia, Scotia, Hispania, &c. Quid, quòd Principi tuo annuè eas pendere opes possis, quibus nullum Europæorum Regnorum majores; ut è te solo annis singulis, octo facilè auri milliones sperare Princeps possit,

& Classem etiam quingentarum bellicarum navium, non magno molimine suppeditabis; nec destitues interim ratibus maria, non flumina &c. Jam quanta sit populi Belgici numerositas & frequentia, ex multitudine urbium rectè colligit post Guicciardinum Majolus *in Canicul. Coll.* 17. qui miratur, in Hannoniâ 20. milliaribus longâ, sexdecim latâ, numerari oppida 24. villulas autem, seu pagos, turri campanariâ, sive templo munitos, bis mille ducentos. At verò mirabilius est, quod Montanus refert in descriptione Belgij: Groningam eo loco positam esse, unde unius diei itinere pedibus pervenire queas ad quodcunque libuerit ex quinquaginta, ut minimum, oppidis, Trajectum undique circumstantibus. Trajecto verò manè egressus ad quodvis è prædictis oppidis, etiam lentè inambulans, potes pervenire, ibi genio indulgere, & vespere domi ad cœnam adesse.

Non

Non desunt Principes, qui per mercaturam sibi viam sternant ad ingentes divitias. Vespasianus & Pertinax Imperatores negotiationem palàm exercuerunt, testibus Suetonio & Julio Capitolino. Alphonsus Atestinus Dux Ferrariensis, falsamentorum & pomorum omnis generis, atque olerum monopolia per Institores suos instituebat. Nam fructus (inquit Jovius in vita hujus Principis) ex amplissimis ipsius hortis collecti, expositíque venales, non toti modò aulæ, verùm etiam urbanæ multitudini expetitam moderati pretij copiam suppeditabant. Aggeres namque universos intra pomeria per declivia planáque, uti locus posceret, frugiferis arboribus & inflexis vinetis digestísq; areolis perpetua viriditate vestiverat: quæ omnia diligenti cultura, & perenni irrigatione ad id latâ, & navigabili fossâ ex Pado perducta, ad miram ubertatem omnium terrâ nascentium, & peramœnæ deambu-

lationis voluptatem instituta, clari hospites mirarentur. Laurentius Medices Reipub. Florentinæ Princeps, mercaturam, quamdiu per publica negotia licuit (quòd ex eo tanquam capite & robur, & nervi omnes in Rempublicam deducerentur, & magno præterea præsidio esset ad domesticam potentiam tuendam) diligenter exercuit. *Brutus lib.* 8. *histor. Flor.* Henricus Dux Brunsvicensis Anno 1473. nullo masculo herede relicto obiit, cùm opes comparasset maximas ex ovibus, Patribus veteris testamenti, ut pietatis, sic pastoritiæ vitæ studio similis. *Crantz. lib.*12. *Saxoniæ.c.*11.

Unde sentio cum Tiraquello, *de Nobilit. c.* 33. & Casparo Klock *tract. de ærario lib.* 2. *cap.* 25. mercaturam, sive maritimam, sive terrestrem, nihil derogare nobilitati, ubi usus obtinuit, præsertim si negotiatio instituatur per alium; præstat enim Nobilitatem negotiari, quàm prædari. Temporibus Henricorum Imperatorum (inquit

cita-

citatus *Klockius num.* 28.) magna pars Nobilitatis Germanicæ ad latrocinia & rapinas versa erat, ut historiæ, & adhuc diruta Castella edocent. Causa tanti mali erat, nobilibus vel interdicta, vel probro data negotiatio; sicut & nunc multi ex nobilitate malunt egere, quàm negotiationi operam dare. Cùm tamen Hispaniæ Italiæque magnates, quemadmodum & Belgici, commercia magno studio exerceant: idque æmulatione Emporiorum, in quibus habitant; nam se contemtos esse vident, si penès se tantùm genus, penès alios verò res sit. Est itaque & necessaria, & utilis, quia magnorum opum procreatrix, mercatura. Quod exemplo suo nos docent opulentissima Emporia, Venetiæ, Amsterodamum, atque etiam (præsertim antequam Batavi inclarescerent) Antuerpia, de cujus urbis celeberrima negotiatione scribit *Carolus Scribanius in sua Antuerpia,* Patrum memoriâ solitū fuisse videri in ejus portu

bis mille & 500. naves ex omnibus orbis Regionibus consistere: quarum pleræque duas, tresve hebdomadas in anchoris, antequam ad urbem appellerent merces exoneraturæ, hærere cogebantur: neque ullus effluebat dies, quo non quingentæ minimum quà appellerent, quà solverent mercibus onustæ. Jam verò si de curribus agatur, quotidie plus quàm ducenti hominibus duntaxat vehendis, itineri se committebant; præter currus mercibus plenos, & carrucas rusticorum, annonam urbi advehentes, qui numerum propè omnem excedebant; adde quingentas rhedas, luxui ac voluptati civium subservientes.

Tandem etiam nonnulli Principes per prudentem pecuniæ, in territorio proprio conservationem, ærario suo consulunt. Quod argumentum bene pertractans Theodorus Sprengerus in libello, cui titulus, *Bonus Princeps*, suadet Principi, ut

ut Exteros magis, quàm ſubditos portorio oneret: illudquè maximè provideat, ut plura exportentur, quàm invehantur; per invectionem enim exterorum pecunia exportatur è regno, per exportationem verò ſubditi diteſcunt. Quòd ſi invectis carere nequeant, laborandum eſt, ut ſubditi neceſſaria ab Exteris apportent, ſolvantque permutatione aliarum mercium. Noviſſimè Angli ſanxerunt, ne quid invehatur, aut exportetur niſi per Anglos. In Moſcoviâ Princeps ſeverè prohibet, ne aliquid pecuniâ ab Extero comparetur, ſed ſolummodò permutetur, ne pecunia ex regno evadat, inquit Sprengerus ex Mercurio Gallico. Simili ratione ſtatuto ſpeciali in Anglia cuivis peregrinanti præcipitur, ne plus pecuniæ, quàm ad itineris neceſſitatem requiratur, è regno exportet.

Nec ferendum eſt, materiam rudem è regno exportari; quapropter opifices alliciendi ſunt, qui eam com-

modè tractare possint. *Bodin. de Rep. c.* 2. Hoc probè intellexerunt Poloni, qui cùm Henricum III. ex Francia evocatum in Regem eligerent, ab illo, ut quosdam Artifices ex Gallia in Poloniam secum adduceret, postularunt. Unde etiam Henricus IV. Rex Franciæ, cùm maximam pecuniæ summam ex Regno, pro comparandis alibi sericis exportari videret, multos, qui rem sericeam intelligerent, ex Italia in quasdam regni sui provincias evocari jussit, quo modo non solùm pecuniæ, ut in regno maneret, compedes injecit, verùm etiam innumerabili lucro Rempublicam auxit, testante Klockio *l* 2. *Aph. Pol. c.* 10. Hinc etiam suadent Politici, ut Princeps ab informi, rudique materiâ, quæ à peregrinis advehitur, amoveat, aut, quantum fieri potest, minuat portorium. Cives enim ex rudi materia in opificio conformata, sæpe majorem capiunt utilitatem, quàm qui materiam vendiderunt,

derunt. E contrario augeatur ve-ctigal omne opificiorum, quæ aliunde advehuntur, ut ipsi cives ea facere addiscant. *Bodin. Cit.* Quapropter Henricus II. publico edicto vetuit rudem materiam ex Regno Galliæ exportari: quem paulò post Angli Hollandique fuerunt imitati. Nam rudi materiâ emigrante, ipsi etiam Artifices emigrant. *Boterus de Illust. stat. lib. 8. c. 8.* Quid aliud Venetias, Florentiam, Genuam, præcipuéque Mediolanum auxit, quàm opificiorum utilitas? *Hippol. à Coll. de incr. Vrb. c 15.* Quibus urbibus non immeritò addiderim, tum Coloniam Agrippinam, quam omnis generis artifices, & quidem magno numero incolunt; sic, ut vicini Principes ab iis arma bellica, reliquáque ad Exercitum necessaria abunde sibi comparare possint; tum præcipuè Norimbergam, quæ reliquas omnes Christiani orbis civitates varietate operum, Artificúmque superat.

Ut penè dixerim, Artem ipsam omnes Industriæ suæ venas in eam infudisse; quamvis ei in plerisque non cedat Augusta Vindelicorum.

Exposui hactenus varios modos, quibus Principes laudabiliter, & citra noxam ingentes opes accumulare possint. Sed contra postremum de Mercatura, insurgunt nonnulli allegatione Jurium, negotiationem Nobilitatis improbantium. Nam *L. Nobiliores, C. de commerciis & Mercatoribus*, prohibentur ii, qui natalibus nobiles & honorum luce conspicui sunt, mercimonia exercere. Unde *L. humilem, C. de incestis, & inutilibus nuptiis*, inter humiles & abjectas personas ea numeratur, quæ mercimoniis publicis præfuit. Et *L. ne quis, C. de dignitatibus, l. 12.* Negotiatores dignitatem assequi prohibentur, & à jam obtentâ repelluntur: neque sanè immeritò; quòd res sordidissimas tractent, idque modis sordidissimis, mentiendo videlicet, & pejerando, furando & decipiendo.

Con-

Consentit Aristoteles, qui cùm *lib.* 3. *Polit. c.* 3. & *lib.* 6. *c.* 7. scribat fuisse legem apud Thebanos, ut nemo esset idoneus ad suscipiendos Reipublicæ honores, qui per 10. Annos à Mercatura non destitisset, *lib.* 7. *c.* 9. manifestum est, inquit, in civitate, quæ optimè gubernetur, neque artifices, neque mercatores cives esse oportere; vilis est enim hujusmodi vita, & virtuti adversa.

Sed hæc omnia nequaquam obstare censenda sunt, si Principum, Nobiliumque negotiationes aut necessitas cogens, aut utilitas boni publici alliciens cohonestet: præsertim si accedat consuetudo, & absint, quæ frequenter à plebeis & vilibus personis mercaturam minutim tractantibus, abesse non solent, indignitates ac sordes: quibus nonnunquam viri etiam illustres fœdissimè commaculantur.

Ego sanè in ea versor opinione, ut existimem, multò laudabiliùs acturos Principes, si rem suam augeant aliquo hone-

honesto genere mercaturæ, per intermedias personas exercitæ, quàm dolis, fraudibus, rapinis, injustis confiscationibus, aliisque similibus praxibus Macchavellicis, ab integritate conscientiæ, & genuinæ politicæ dictaminibus omnino alienis, aut etiam honestati atque decoro (quod Principes dextro oculo nunquam non intueri decet) repugnantibus. Quo in genere non leviter aliquando peccatur à viris magnâ dignitate fulgentibus. Inter quos Ludovicus Sfortia Dux Mediolanensis, dum latifundium ad eximiam fertilitatem magno studio conderet, quod de nomine suæ gentis, Sfortiadam appellavit, vicina prædia impotenter ab invitis dominis coëmendo, ipsis Sfortiadæ finibus inclusit, corrivatisque privatorum civium aquis, ut sua plenitis irrigaret, alienos agros solito humore destitutos, penitus infæcundos reddidit. *Jovius lib. 2. histor.*

Antonius Leva Ducatûs Medio-

lanen-

lanenſis pro Carolo V. Gubernator, à Gallis, Venetis, & Sforțianis in magnas rei nummariæ difficultates redactus, ut militi neceſſaria, perſoluto ſtipendio, præſtaret, vectigal excogitavit Mediolani, quo omnium pecunias abraderet, & ſingularum familiarum fortunas everteret. Severo namque edicto vir imperioſus & ſævus, à quoquam cive panes pinſi vetuerat, cùm venalis tantùm ederetur, conſtitutis ejus monopolii tabernis, unde eſurientes magno pretio panem coëmerunt, tantâ edicti atrocitate, ut plerique inopes laquei metu, fame paſſim interirent. Molendi utique tritici, percoquendique panis vetantes leges, pavidum vulgus perhorrebat; ita ut Antonius clariſſimam paulò antè, atque opulentiſſimam Italiæ Civitatem, importato ingenti luctu, longè omnium miſerrimam redderet. Tantâ ſcilicet acerbitate atque ſævitiâ crudeliſſimæ legis auctoritatem tuebatur,

ut

ut vel ab egentibus mulierculis, quæ desiderio panis subcinericias confecissent offulas, & in sartagine placentas oleo suffrixissent, contusóq; in pila tritico farinam expressissent, prægraves pœnas exigeret: sic, ut non infacetè, quanquam amarissimè, M. Antonius Canicula, quæstorii ordinis civis, in corona diceret, peramplam, uti reor, Antonius Leva à Cæsare gratiam referet, quando ei supra tot clara cognomina summæ Majestatis, novæ nobilitatis gratiâ, Furnarii titulum adjecerit. Nam & tabernæ furnariæ, & venales panes, Cæsareæ Aquilæ notâ signati, vulgò Imperiales vocabantur. *Jovius lib. 26. histor.*

His addo, quod Guagninus *in descriptione Moscoviæ cap.* 4. recenset, de Joanne Basiliade Magno Duce Moscoviæ. In Principis thesauro, inquit, vestes plurimæ elegantes ad id erant repositæ, ut cùm triumphus celebrandus, aut legatus alicujus Principis excipiendus esset, singulis Aulicis ad

tempus accommodarentur. Cæteri quoque Nobiles ad convivia amicorum, vel ad nuptias profecturi, aut Divorum festa celebraturi, de Magni Ducis vestiario, certo pretio, secundùm temporis spatium, vestes accipiebant, easdemque cum usura thesaurario restituebant. Quòd si aliquantulum vestis commaculata fuisset, pecuniam pro ea numerare cogebantur, verberibúsque insuper mulctabantur. Quin etiam ad Regem Poloniæ, vel ad alios exteros Principes missurus Oratores Magnus Dux, Ipsis, & omnibus Nobilibus eos comitantibus, vestes & arma, atque id genus ornamenta ex thesauro suo, sed non sine lucro & usura, commodare solebat.

Sed relictis hisce minùs decoris, minúsque dignitatem Principis decentibus divitias comparandi modis; ad alios laudabiliores, eósque multiplices, me converto: quos in prudentia Oeconomica laudatissimi, æternáque

Itaque memoriâ dignissimi Episcopi ac Principis Paderbornensis Theodori à Fürstenberg adumbravit P. Jacob. Masenius *in Auro Sapientum ante quæst.* 1.

Ad sat tenuem, longísque calamitatibus exhaustum Episcopatum promotus Theodorus, anno superioris ætatis 1585. brevi illum non tantùm ære liberavit alieno, sed etiam ditavit proprio, tantâ felicitate ac solertiâ, tanto rerum temporúmque compendio, ut admirationi exteris, subditis & venerationi & amori esset. Neque enim usitatis quorundam institit artibus, per quas ipsi obluctante solo polóque ad opum incrementa conituntur; sed iis, quas non improbaret cælum, approbaret mundus, ad summam contendit opulentiam. Quâ deinde pauperes, religionem, Ecclesiam, universamque patriam recreavit, hostes terruit, súisque dimovit à finibus, fideles amicos solatus est, artium scientiarumq; proculcatum honorem excitavit,

vit, jacentem pietatis erexit auxitque cultum, pacem & quietem ſubditis, decus ſibi ſuisq; æterni nominis comparavit.

Prima ratio (inquit Maſenius) ac fundamentum affluentis opulentiæ Celſiſſimi viri fuit, ſingularis in DEUM fontem autoremque omnium fiducia; qui æternis providentiæ ſuæ legibus ſtatuit, nunquam ſibi fidentem deſtituere. Legerit utique illam in Regio Pſalte promiſſionem: *Spera in Domino, & fac bonitatem: & inhabita terram, & paſceris in divitiis ejus.* Sed nec Chriſtum hujus promiſſi fidejuſſorem fallere poſſe exiſtimavit, dum inquit: *Quærite primùm regnum Dei, & cætera omnia adjicientur vobis.* Quocirca adeo felicem diœceſis Paderbornenſis, multis difficultatibus preſſæ, & alieno ære gravatæ, curam ſuſcepit; ut poſtquam diſciplinæ Eccleſiaſticæ pro viribus conſuluiſſet, onus ingens debitorum brevi tempo-

re,

re, idque ex redditibus Epiſcopalibus levarit. Quod etiamnum repertæ rationes teſtantur, quibus 79893. & $3\frac{2}{1}$. imperialium dalerorum expunxit, ſubditosque ære ſuo in libertatem vendicavit.

Neque ſatis ſibi hac patriæ oppreſſæ redemptione feciſſe eſt viſus; ſed inſuper ad hoc omni ſolertiâ incubuit, ut eandem, quantum poſſet, in ſacris juxta profaniſque locupletaret. Quocirca de Univerſitate ſtudiorum illic ad totius patriæ ac religionis emolumentum excitandâ ſollicitus, egregio illud, quà opere, quà liberalitate, ad immortalis famæ memoriam, & Fürſtenbergicæ Familiæ gloriam eſt aſſecutus: quando erectis apertíſq; Scholis publicis, in quibus præter ſcientias humaniores, Philoſophicæ quoque ac Theologicæ prælegerentur, æterno Diœceſin in ſuam vicináſque regiones beneficio ſibi devinxit.

Ad devotionem erga venerabile Sacramen-

cramentum, diviníque hujus cultûs honorem amplificandum, tria & viginti imperialium dalerorum impendit millia: quorum proventus annuos in præsentium per octavam illius solennitatis Canonicorum usus convertit. Nec Deiparæ Virginis impensiùs colendæ immemor, ad illius venerationem promovendam, supra duodecim imperialium millia insumpsit.

Porrò memor Theodorus, se cum pedo Episcopali sociasse virgam populi moderatricem; séque non modò Antistitem in sacris, sed etiam Præsidem in Politicis esse; magnis auri argentíque impensis huic quoque Reipublicæ parti prospexit. Inter alia, duas viro Principe dignas, & secuturis post se eadem in dignitate Principibus servituras arces construxit, *Neuhausium & Wevelsburgum.* Plura alia per diœcesin ædificia, vel ex ruderibus ad egregiam novitatem excitavit, vel ex funda-

mentis in visendas fabricas eduxit.

Altera ratio, quâ hic illustrissimi nominis Princeps ad ingentes opes ab inopia emersit, domestica sobrietas fuit & parsimonia. Nihil ille, quod talem deceret Episcopum Principémque, sibi deesse sordidè passus est: at idem delicias apparatúmque nimium semper est aversatus; ne qui aliis temperantiæ moderationísque leges daturus esset, ipse eas aut ignorasse, aut neglexisse videretur. Illa Aulicæ superbiæ & profusionis alimenta, quæ profanorum magis, quàm Ecclesiasticorum Principum referrent indolem, magnisque solùm impensis, nullo Principum emolumento sustinentur, procul submovebat. Frugalis illi vita, & ad modestiam, disciplinámque ac gravitatem Episcopo dignam comparata erat, quæ cum effusis prodigè divitiis, nullum vitiis nutrimentum suppeditaret. Unde luxum inutilémque ad superflua profusionem

ferre non poterat, ex qua præſentem opum virtutiſque jacturam emanare cerneret. Magnum ille Principem inſigni nobilitate ſtipatum, domi hoſpitem aliquando exceperat. Cúmque illi, qui ex comitatu aderant, poſt menſam ambulatorijs ſeſe vitris ad potum largiùs invitarent, nonnemo bibendi impar, ut reſpondere ex æquo videretur, reliquias libati ex poculo vini per feneſtram, cui innitebatur, effundebat. Quod cùm Princeps Theodorus animadvertiſſet, miſit ex miniſtris, qui ſignificaret, ſibi quidem tantum domi vini eſſe, quantum ad Convivarum ventres exſaturandos, nō verò quantū ad arcis foſſas replendas ſufficiat: huic proinde labori parceret. Noluit igitur in helluonum tabernam Epiſcopalem aulam commutari.

Tertia ratio erat Miniſtrorum probitas, & fidelitas Conſiliariorum. Primum quidem in felici Aula eſt Princeps ſapiens: ſed proximum eſt, virorum ſapientum niti conſiliis & auxiliis.

Omnia regna, civitates, nationes, usque eò prosperum imperium habuerunt, dum apud eos prospera consilia valuêre. Salustius de Republ. ordinanda. Optima autem consilia apud probos, integræque vitæ homines reposita sunt. Siquidem ceteri plerique consilia Principum ex privatæ utilitatis momentis ponderant, atque ad illa persuadenda ingeniosi sunt, quibus res suas potiùs, quàm Principis auctum iri prospiciunt. Unde Jethro socer Moysis, Genero suo, Israëlitico jam populo cum summa authoritate præposito, hoc dedit consilium: *Provide tibi de omni plebe viros sapientes & timentes Deum, in quibus sit veritas, & qui oderint avaritiam, & constitue ex ijs qui judicent populum.* Exodi 18. In horum delectu perspicacissimus erat Theodoricus Princeps. Noverat, quibus suam ipse conscientiam & occulta crederet; quos in consilium viros jam ætate, experientiâ, doctrinâ ac virtute probatos adhiberet; qui ærarij rationes, censúsque tribu-

tributarios & exciperent & diſpenſarent. His alterum ita commodabat oculum; ut neque illorum libertati totum indulgere, neque prudentiæ, integritatíque prorſus videretur diffidere. Quâ ratione factum eſt, ut neque per injuriam facilè pecunia à ſubditis extorta ſit, neque per incuriam neglecta.

Et verò non tam multis, quàm fidelibus ſibi miniſtris utendum cenſuit. Comitatus ejus non ad longam magnificámque inſtructus erat pompam; cùm innocentiam amorémque ſubditorum firmiſſimam eſſe corporis cuſtodiam ſentiret: cenſerétque id omne quod in Aulæ luxum ſuperfluum impenditur, gravioribus patriæ Eccleſiæque commodis ſubtrahi. Quæ res quantum opibus viribúsque in omnem neceſſitatem promptis, adjecerit, illi Principes docere nos poſſunt, qui, cùm in Aula nimiùm ſplenderent, in ærario ſunt extenuati: majori non rarò apud ſapientes in

despectu, quàm apud desipientes in honore.

Quarta ratio erat profligatorum hominum castigatio, eorúmque qui Rempublicam hæresi factiosorum hominum turbant, tempestiva submotio. Pacis quidem ille erat amantissimus, pacísque artibus opes potissimùm cumulari, bello exhauriri non ignorabat. Verùm cùm sensim per irrepentem hæresin subditos ad rebellionem armari comperisset, belli æqui rationes præ iniqua pace amplecti maluit. Unde hoc illi familiare distichon:

Arma procul jaceant, tamen est fas sumere bellum,
Quando aliter pacis non licet arte frui.

Brevi igitur opum dispendio, magnum rursus ad res augendas fecit compendium: armis repentè adversùs turbulentos patriæ cives, & insidiosas Vicinorum machinationes correptis. Neque difficile erat Principi habere militem, cui locuples erat

ara-


ærarium. Unde bello celeriter confecto, rebelles in obſequio ſubditos, vicinos inſidiatores in timore continuit, ſuámque, compoſitâ rurſum diœceſi, ex ſolito redituum proventu meſſem collegit.

Quinta ratio erat amor inſignis in Principe erga ſubditos, quorum ſe totum commodis uſibúſque impendebat; nec tam ſibi theſaurizabat, quàm ſuis: ut pulcherrimo amoris luſu, non alio colligere opes fine videretur, quàm ut ipſe domi abſtinens, in patriæ denuo emolumentum collecta profunderet; quæque exigua, minutímque diviſa ex ſingulis collegiſſet beneficia, hæc ingenti aliquo præclaróque opere, in Reipublicæ Eccleſiæque commodum rependeret. Quâ animi benevolentiâ id aſſecutus eſt, ut non minori ſubditorum amore coleretur. Hinc magna ex utraque parte in alteram ad augendas fortunas omnes profluxit utilitas.

Sexta ratio est liberalitas in pauperes & singularis eleemosynarum cura. Nullâ enim aliâ profusione, quàm istâ, cumulatiùs, majorique cum fenore quod erogatum est, rependitur. Ipse Princeps luculentissimum hujus rei experimentum se habuisse, hisce verbis frequenter testatus, est: *Nulla mihi pecunia uberiores in censu proventus attulit, quàm quæ in manibus pauperum fuit collocata.* Quocirca ejus rei singularem gessit curam; ita ut suæ mensæ cibos inferri vetuerit, priusquam denis hominibus, secretiorem domi suæ penuriam sustinentibus, diurna ex alimento sustentatio delata esset. Duodecim quoque alijs simili penuriâ pressis annuâ fundatione provisum erat; quos sacro missæ officio quotidie interesse voluit, Deúmque pro totius patriæ bono obtestari. Præter hos, ingens quotidie pauperum turba aulam Principis obsidebat, quæ honestam ex ea stipem semper referebat. Intererea illud Sedulij *in*

oper. 4. *Pasch.* verum esse Princeps didicit: *Pecunia, quæ sub vilissima etiam pauperis forma, Christo probatur impensa, detrimentis augetur, spargendo servatur, perit, ut maneat.*

Hisce mediis industrius Princeps eas opes consecutus est; ut cujus divitias nemo ante noverat, cujus vires ad pacem bellumque despiceret, is subitò formidandus hostibus, amicis esset exoptandus.



CAPUT XIII.

Quòd annonæ provisio ad officium Principis pertineat.


PArs magni boni regiminis est annonæ provisio.

Italorum adagium est: *Panis in foro, justitia in tribunali, securitas ubique, sunt signa boni Imperij.*

Cosmus Medices Pater patriæ dictus, cùm quendam ad capessendum Bononiensem Principatum dimitteret,

ret; inter alia Reipublicæ administrandæ præcepta, tria hæc præcipuè dedisse dicitur: *Annonæ curam sedulò ageret, omnibus nullo discrimine jus diceret, ab alienis Uxoribus abstineret.*

Christiernus Rex Daniæ dicere solebat: *Regnum est navis, cujus remus est panis.* Idem Rex in suis gentilitiis insignibus habuit cymbam cum remo, in cujus manubrio erat depictus panis, cum inscriptione: *Et pangit, & frangit:* pangit nimirum amicitias, frangit hostes.



CAPUT. XIV.

Quod Princeps debeat favorem Commerciis impendere.

QUi Reipublicæ præest, mercaturam promovere & favore prosequi debet (inquit Perezius *in Jure Publico*) quia ex vectigalibus mercium evectarum & invectarum augetur ærarium, populus ditescit, ac sine tædio

dio tributa imposita solvit. Optimè id norunt Batavi, qui intra breves suarũ provinciarũ terminos solis mercibus & maritimis opibus validissimos alere possunt exercitus. Galli quoque nec auri nec argenti fodinas habent, mercimoniis tamen, aliisque reculis affabrè & ingeniosè confectis divitias congerunt. Hispani verò, qui ingenti cum labore & periculo ex remotissimis orbis partibus adamantes, uniones, aromata, multósque alios thesauros advehunt, eos nugis abjectísque mercibus commutant, & se depauperant. Aurum & argentum Genuensibus mittunt, & insuper plurima eis solvunt cambia. In alias Provincias lanam, sericum, ferrum mittunt, & opera inde ab exteris confecta in Hispaniam remissa carissimè emunt, ob vecturæ sumptus & artificium. Alendi potiùs artifices sunt & prœmio invitandi, qui ex mercibus ibi natis necessaria conficiant: sic pecuniæ è Regnis non effe-

rentur, sed aliunde inferentur, aut alijs mercibus necessarijs commutabuntur, non ijs quæ ad luxum & pompam sint: de quibus queritur Tiberius apud Tacitum lib. 3. annal. *Lapidum causâ pecuniæ nostræ ad externas aut hostiles gentes transferuntur.*



CAPUT XV.

Æs alienum vel non contrahendum à Principe, vel maturè dissolvendum.

ÆS alienum sit à Principe alienum; est enim phthisis Reipublicæ.

Sapienter Bodinus *lib. 6. de Republica c. 6.* Nihil, inquit, in Republica perniciosius, quàm Principem multa conflare debita; quoniam alterutrum necesse est: aut ærarium diruere, ac publicas opes evertere, si usuræ dissolvantur: aut turpiter fidem fallere, ac privatorum bona diripere.

Unde

Unde illud prudentissimum Serenissimi Maximiliani gl. mem. Electoris Bavariæ monitum ad filium: A faciendis, inquit, æris alieni nominibus, quoad ejus fieri potest, diligenter abstine: & si rebus necessariis facta fuerint, primo quoque tempore cura, ut epungantur, aut saltem id age, ne in iis dissolvendis remissus, nedum infidus videaris. Hoc tibi sit pro comperto, fœnus sensim sine sensu debitoris facultates excedere: & nisi, cùm dies venerit, repræsentetur, continuò vorare instar teredinis: &, quod turpius est, moras & impotentiam, vel saltem negligentem iniquitatem exprobrare, non sine tacito convitio. Frustra solutionem in successiorem reiicis, si ipse, quod contraxisti, debitum, solvere neglexeris; proclive enim est, ut ille te in non solvendo imitetur.

Hactenus Elector Maximil.

CA-



CAPUT XVI.

Quòd Tributorum moderatio deceat Principem.

TRibuta ſunt omnino Reipublicæ neceſſaria. Nam neque quies ſine armis, neque arma ſine ſtipendiis, neque ſtipendia ſine tributis haberi poſſunt.

Ad tributa duo requiruntur: neceſſitas Principis, & fidelitas ſubditorum. Illa *præcurrere*, hæc *concurrere* debet.

Principem in exigendis tributis non oportet ita eſſe rigidum, ut non ſubmittat ſe neceſſitati temporum, & afflictæ ſubditorum fortunæ.

Væ Principibus illis, qui miſerrimam plebem faciunt tributariam ſuæ libidinis, quæ debuerat eſſe neceſſitatis.

Malè inter ſuos audivit Darius, propter nimiam exactionem tributorum.

rum. Unde Perſæ dicere ſolebant; Darium fuiſſe *Mercatorem*, Cambyſen *Dominum*, Cyrum *Patrem*. Quia Darius ubique lucrum ſpectabat, Cambyſes aſper erat & moroſus, Cyrus verò mitis & ſubditorum amans.

Ut liquor ille, qui ex arbuſcula myrrhæ radio ſolis exprimitur, nobilior eſt eo, qui ferro extorquetur; ſic ea populorum tributa ſunt laudatiſſima, quæ civium amor elicit, non quæ vis terrórque cogit.

Illa tributa ſine dolore penduntur à ſubditis, quæ non ſine dolore imponuntur à Principe.

Joannes Primus Caſtellæ Rex veſte lugubri toties induebatur, quoties tributum à ſubditis exigendum erat. *Roſinus.*

Nunc alius rerum eſt ſtatus. Hodie non tam Principes, quàm ſubditi lugent, dum tributa ſine moderamine imponuntur, & non ſine acerbâ Exactorum violentia extorquentur. Unde moleſtiùs dominantis avaritiam

ferunt,

ferunt ſubditi, quàm ipſam ſervitutem: prout accidit ſuperiori ſæculo in Provinciis Belgicis; quando Dux Albanus decimam rerum omnium tributi nomine exegit: ſecutâ inde turbatione ingenti, quam gravia excepêre incommoda. Tributum, quod ſubditis grave eſt, exigentibus ſubinde multò gravius eſt.

Ante annos non multos, cùm Magiſtratus Argentinæ, ſuadente quodam, vectigal pontis augere conſtituiſſet; idque populo ſignificatum eſſet, is qui conſilii hujus auctor fuerat, ut vitam ſervaret, officio, quo fungebatur, ſeſe abdicans, urbem deſerere coactus eſt.

In Galliæ Carolo VI. Rege, rerum venalium viceſima tributi loco indicta erat. Id onus urbes detrectabant, miniſtris regiis contrà nitentibus. Cùm igitur Pariſiis in foro olitorio femina quædam naſturcium venum expoſuiſſet, coactor Regius obulum poſtulat. Muliercula aſtantium vi-

rorum

rorum auxilium provocat. Concursu facto exactor à turba oppressus, obtritúsque est. Inermis plebs ad ædes publicas impetu delata; dejectis foribus arma corripit. Tumultuatum exinde ab armatis totâ urbe; & quotquot reperiri poterant exactores Regii, plumbeis malleis interfecti sunt.

CAPUT XVII.

Quod Alchimia, sive Chrysopœia non prosit Principibus.

NON expedit Principes (præsertim eos, qui minùs pecuniosi sunt) Chrysopœiæ, sive Alchimiæ, studio ditescendi, magnopere addictos esse. Nam Alchimia non ad opes, sed ad egestatem est via.

Initium Alchimiæ est mentiri, medium fallere, finis mendicare.

Alchi-

Alchimista dum aurum quærit, etiam argentum amittit.

Alchimista sæpiùs ex auro non aurum, quàm ex non auro aurum conficit.

Unde quidam ajunt, Alchimiam esse Artem Creationi extremè oppositam. Sicut enim DEUS ex nihilo fecit omnia; ita hæc Ars carbonaria ex omnibus facit nihil.

Quid ergo lucrantur Alchimistæ? certè non aurum, nec argentum: *Alchimista parum habet in cista.* Quid igitur? Quidam non infacetè respondet: Alchimistas lucrari quinque F. *Fumum, Fœtorem, Fatigationem, Fastidium, Famem.*

Optima & probatissima Alchimia est, habere tabulas accepti magnas, expensi parvas.

Alchimia provata è, haver entrata, & poco spendere.

CAPUT XVIII.

De Recreationibus Principum.

Recreationes Principi tot curis gravioribus fatigato non minùs necessariæ sunt, quàm arcui remissio. At nimiæ bono publico detrimentum afferunt. Ut verò moderatæ, & tam Reipublicæ, quàm Principi salutares sint, quatuor videntur esse necessaria. Primò, ut recreationes conjungantur cum exercitiis pietatis, & negotiis Rempublicam concernentibus: sic ut alteræ alteris quodammodo interpolentur. Secundò, ut in hujusmodi relaxationibus quædam servetur moderatio, ac veluti temperamentum; ita ut nec jucunditate authoritas, nec authoritate gravitatéque jucunditas impediatur. Tertiò, ut recreationi non indulgeatur cum dispendio ac detrimento boni publici. Quartò, ut recrea-

creatio sit secura, neque Principem in discrimen aliquod adducat.

Primum egregiè præstitit Ferdinandus III. Cæsar glor: mem: qui aliquando interrogavit Caraffam Nuncium Apostolicum, ecquid ipsi de suis Cantoribus Musicisque videretur? cui cùm Caraffa, summam omnium esse excellentiam respondisset; sed si sui res arbitrii foret, jussurum, ne nimiâ prolixitate in templo tædium Auditoribus afferrent: Cæsar subridens, tribus insatiabiliter se interesse dixit: sacrorum celebrationi, consultationibus de Republica, & venationum sudoribus.

In secundo excelluit Fridericus Rex Daniæ: qui animum curis fessum recreaturus, sæpius amicos, quasi sepositâ Regis Personâ, ad sales & jocos, cæterasque remissioris animi hilaritates provocabat: monens, ut lascivirent secum nonnihil, & jucundè ineptirent, dum Rex abesset. Postquam satis lusum fuisset, resum-

ptâ

ptâ Regiâ gravitate: heus amici, inquit, mittamus nugas; Rex enim rediit.

Circa tertium deliquit Carolus Emmanuel Dux Sabaudiæ, qui accepto nuncio de adventu hostilis exercitûs, & occupato jam Camerino, illo ipso tempore festivis choreis (quibus vel ut spectator, vel etiam ut actor intereat) nisi ad finem perductis, abscedere noluerit. *Matthieu in hist. Gall.*

Ad quartum pertinet consideratio ingentis periculi vitæ, quod Maximilianus II. Archidux Austriæ, postea Cæsar, in Hispania occasione venationis adiit.

Cùm Carolus V. Imperator, idémque Rex Hispaniæ, in Germania res nondum pacatas componeret, Archidux Austriæ Maximilianus II. ingenio, prudentia aliisque virtutibus ornatissimus Princeps, ad Hispaniæ vicinorúmque regnorum gubernationem accitus est. Ibi dum vel

animi

animi causâ, vel exercendi corporis gratiâ, venationi ad Granatam vacaret, & oblatam feram insequendi cupiditate accensus, longiùs à comitatu suo discederet, à suis relictus, diu in densissimis nemoribus vagatus est. Cùmque nocte jam accedente sibi à feris immanibus magnopere timens, locum aliquem tutum, quo se reciperet, circumspectaret, conspectâ eminùs pastoritiâ casâ, citato equo ad eam contendit, ubi à Pastore in speciem humaniter exceptus, de equo descendit, & tugurium ingreditur. Degebant in eâ casulâ, præter pastorem, filiusfamilias, juvenis robustus, & ad quodlibet facinus aggrediendum idoneus, Uxor Opilionis, ejusque parvula filia & nurus, quæ paulò antè nova nupta in familiam pastoris concesserat. Princeps, dum ei tenuis cœnula apparatur, foco assidet, nihil mali suspicans. Interea cùm Pastor aliíque domestici Principem hunc minimè

nimè nossent, neque ipse quisnam esset, cuiquam apperuisset, suspicarentur tamen, consideratis ejus pretiosis vestibus, ipsum omnino magnum aliquem & opulentum virum esse, opimæ inhiantes prædæ; teterrima de eo perdendo consilia ineunt. Itaque cœnante in perangusto cubiculo, quod ostiolo vetustate putri, & cardinibus diluxatis, maléque cohærentibus, ægrè claudebatur, lectum ei consternunt, aliáque ad somnum capiendum necessaria apparant. Quæ dum geruntur, nova nupta filii, conceptâ ex domesticorum nutibus & concursationibus suspicione pravi consilii: vel egregii Principis sibi ignoti miserata vicem, vel atrocitate rei commota, periculum, in quo versabatur, Maximiliano detegit. Is licet facilè potuisset (apertè fatendo quisnam esset) discrimen imminens evitare, maluit tamen virtuti propriæ, quàm fidei eorum hominum, qnos semel infidos atque impios expertus esset,

esset,

esset, sese committere. Quapropter in cubiculum sibi ad insidias paratum, ab hospite sanguinario introductus, occluso accuratè ostio, & objectu gravioris arcæ bene adversùs irruptionem communito, sumptâque in manus bombardâ, cœpit intrepidus eventum rei expectare.

Pastor, cùm illum de via & venatione fessum vidisset, ubi somno oppressum credidit, suspenso gradu ad ostium accedit, ac manu prætentat, clausúmque reperit. Quod cùm præter spem illi accidisset, petit à Principe, ut ostium aperiat, cupere se nescio quod stragulum ex arca promere. Cui Princeps, apage, inquit, cum tua ista importuna diligentia: mihi jam ad quietem somnúmque composito non libet ostium recludere. Tum ille primùm indignari, clamare, quiritari: deinde ad arma currere, vim apertam parare, postre-

postremò etiam cædem minari, nisi domus sua tota sibi pateret. Et jam pastores cæperant ostium amoliri, eóque obnixiùs rem cæptam perficere, quòd jam sua consilia detecta esse non obscurè intelligerent. At verò Princeps magnanimus, cùm rem iniquissimo loco sitam videret, fortiter pugnandum ratus, intentatam ad fores bombardam displodit, ostium glande trajicit, pastorémque prosternit, ac subitò dimotâ arcâ, patefactóque ostio foras erumpit, pastoris filium obtruncat, opilionem famulum ense stricto persequitur, & fugere cogit. Neque tamen protinus omni periculo defungitur. Nam vociferationibus uxoris, & insueto tumultu acciti, qui circùm aderant alij pastores, raptis undique telis concurrunt, domum ipsam armati circumsistunt, juvenem Principem ad supplicium deposcunt. Ille verò insanum rusticorum furorem meritò re-

formidans, se Hispaniarum præsidem ac moderatorem esse palàm asseverat, extremum ei comminatus exitium, qui violentas ipsi manus inferre præsumeret; Si sibi parum fidei habendum putarent à præsenti cæde abstinerent, ultione Magistratui reservatâ. Illi heroicâ præstantissimi Principis indole, & constanti oratione permoti, facilè quidem sibi persuadebant, illum ipsum esse, quem se esse dicebat, ne tamen ab ingenio suo rusticano discederent, Juvenem Principem comprehensum manibus vinciunt, itaque constrictum summo mane ad vicini oppidi Præfectum perducunt. Jam eodem pervenerant nonnulli ex Principis satellitibus, eum sollicitè quæritantes: quem cùm ita vinctum, modisque indignissimis acceptum viderent, parum abfuit, quin in turbam illam pastorum inconditam ac tumultuantem irruerent. Tum verò adventu horum res omnis, ut erat, dete-

detecta fuit, & qui tanti sceleris fuêre conscij, sceleſtiſſimi facti meritas pœnas dederunt. Nova nupta è contrario ob ſceleris apparatum Principi detectum, multis magnisque muneribus affecta eſt. *Ex Hiſtoriographia Apodemica Davidiis Frœlichij.*

Caveant ſibi Principes, ne, dum venando feras beſtias capiunt, à feris hominibus capiantur.



CAPUT XIX.

De nimio & inordinato erga res ludicras affectu à Principibus refrænando.

STultiſſimus omnium affectuum eſt Amor inordinatus, à quo ne maximi quidē Principes ſemper immunes exiſtunt. Palam id fiet exemplo quorundam Regum Indicorum, Elephantem album copiosâ non modò auri, ſed etiam ſanguinis profuſione honorantium.

Memorant rarum esse animal, atque ex eo capite pretiosum, candidum elephantem. Hunc qui nactus est apud Indos, dominum se scripsit albi elephantis, titulo perquam honorifico & invidendo, cujus gratiâ multum est humani sanguinis non semel effusum: certantibus æmulis Regibus pro candida bestia, donec in cruore suo purpurati aut starent, aut caderent. Et auctor est Ferdinandus Mendozius, Regni Sornao Regem superbivisse in elephante albo. Quem ut obtineret Rex Brama, trecenta millia armatorum in aciem eduxit: ratus tunc impensas belli optimè collocatas fore, si dignitatis gloriæque suæ luculentum auctarium adjecisset niveam belluam. Nihil tamen promovit; sed re infectâ, & imminutâ tertiâ parte exercitûs sui, unde venerat, redire coactus est.

Fecit ea res, ut elephas, tot sumptuum materia, & tam cruentæ cla-

dis

dis occaſio, altero tanto Regi ſuo fieret charior. Itaque beſtia nunquam in publicum producebatur ſine inſigni pompa & ampliſſimo comitatu; qualem ſupradictus Mendozius ſcribit ſe aliquando conſpexiſſe, quando regium animal, ad fluvium & balneasibat. Præcedebant Magnâ Coronâ proceres, partim equis 160. vecti, partim elephantis 83. Hos ſequebatur candidus elephas, auro argentoque gravis: objectis ſupra ipſum 24. ex filo ſerico umbellis adversus ſolis radios. Ipſe in proboſcide auratam ſphæram, Orbis globum, geſtabat: atque ut ab omni vi injuriaque tutus eſſet, latera utrimque cinxêre tria millia ſatellitum, armis probè inſtructorum. Neque defuit Muſicorum inſtrumentorum apparatus. Singulæ urbis plateæ feſtivo vocum fidiumque applauſu reſonabant. Denique agmen clauſerunt 40. viri Principes, totidem elephantis geſtati.

Quacunque transitura erat pompa, muri & parietes pretiosis aulæis superbiebant. Quoties bestia consistebat, nemini licebat pedem movere. Cùm verò etiam (honos sit oculis auribúsque) urinam redderet, ea aurea pelvi excepta, ad Magnates totius regni mittebātur, solitos se illo fonte abluere. Postremò, ut nulla mortalium felicitas est perpetua, etiam Regi suo amatus pretiosúsque elephas occubuit, cum totius populi luctu; quem frequentes per mensem integrum lacrymæ, toto regno fusæ, satis superque comprobârunt. Rex bestiæ magnificè parentavit, in exequias ejus 24. coronatorum millibus impensis.





CA-

CAPUT XX.

Quòd Immodicus luxus Principi Vitandus sit.

GRave est, Principis immodico luxu egentium sudorem cum dolore expressum absumi. Ita loquitur Maximilianus Elector Bavariæ in monitis ad filium suum Ferdinandum. Cui dicto non est absimile illud effatum sapientissimi Alphonsi Regis Aragoniæ: *Bonus est Princeps, qui subditos suos habet in Capite; melior, qui in corde; pessimus, qui in ventre.*

Hi ventricosi Principes insatiabiles sunt; quò plus devoraverint, tantò plus appetituri & devoraturi.

Salomoni, ubi ad luxum versus est, nullum suffecit aurum, licet unicâ navigatione (quæ per triennia repetebatur) ex Ophir quadringenta auri talenta colligeret. Cœpit itaque populum tributis premere, mox sub filio defecturum.

Henricus VIII. Angliæ Rex, immani luxuriâ avaritiâq; post exhaustum Regium ærarium, ad ingentia tributorum onera se convertit; & quod nec ista sufficerent, Ecclesiasticas invasit opes & possessiones, tantaque cum administris cupiditatis Regiæ licentiâ in illas grassatus est, ut sublatis bonis decem templorum millia anno uno hæresi famulante subverterit. Et tamen in magna Regii ærarij inopia defunctus est. Mira, sed comperta frequentibus exemplis res: *Alij dividunt propria, & ditiores fiunt; Alij rapiunt non sua, & semper in egestate sunt.* Proverb. c. 11.

CAPUT XXI.

Quòd leges sumptuariæ à Principe ferendæ sint.

PLures à Majoribus repertæ leges sumptuariæ (inquit Tacitus *lib. 3.*

lib. 3. Annal.) sed aliæ oblivione, aliæ (quod flagitiosius) contemptu abolitæ, securiorem luxum fecêre. Verùm, quia leges sunt pharmaca languentis, seu vitijs affectæ Reipublicæ, ad officium Principis, qui Reipublicæ Caput est, pertinet, aut novas condere leges sumptuarias, aut veteres reducere, quibus coërceatur conviviorum & vestium luxus, armorum usus, onerosa & damnosa pompa in nuptijs atque funeribus, aliique profusi sumptus, quos tenuioris conditionis homines faciunt in auratis frenis (ut loquitur Perezius *in jure publico*) redis, vehiculis, baltheis, calcaribus, vestibus holosericis, purpureis, auro & argento contextis, in segmentis auratis & supellectile argentea ad cibos ministrandos, &c. quibus rebus absumitur cum dedecore, quod in monetam & publicas pecunias sufficeret, & materia nummis subtrahitur; ita ut periculum sit, ne deficien-

tibus opibus, ad facinora populares incendantur, quibus publica turbetur tranquillitas. *Fiunt* (inquit Aristoteles 8. *Politicorum*) *in Republica mutationes & seditiones, cùm homines sua consumunt, prodigè viventes.* Quam ob causam Aristoteles arbitratur è Republica fore, si leges sumptuariæ in usum revocentur. Quod tentarunt in Gallia Philippus Pulcher, Carolus IX. Henricus II. & IV. in Germania & Belgio Carolus V. qui usum sericæ vestis certis tantùm personis, habitâ censûs & honorum ratione, permisit, omnémque luxum interdixit. Digna sanè Principibus cura, providere, *ne dites familiæ aut claritudine insignes studio magnificentiæ prolabantur.* Tacitus lib. 3. Annal.



CA-

CAPUT XXII.

Quòd nimia parsimonia & tenacitas Principis per moderatam liberalitatem corrigenda sit.

QUemadmodum nimia liberalitas Principi, ita nimia tenacitas Ministris, imò toti Reipublicæ nocet, si fides habeatur huic dicto Aureliani Cæsaris: *Respublica optimè regitur auro & ferro: id est manu liberali & forti.* Livius existimat, nihil non aggressuros homines, si magnis conatibus magna præmia proponantur, eáque ab ipso Principe dentur. Munificentiâ tanquam vinculo adamantino subditorum animos sibi devinciunt Principes.

Ditescere invidiam, ditare benevolentiam Principi conciliat. Tu nihil es, nisi des; ergo des: respice cui des.

Scio nonnullos Principes prætendere inopiam. Sed nescio, an sit decorum Principi uti excusatione ab egestate petitâ.

Nunquam liberalitati Principis deesse poterit quod det, si danti non ipsa desit.

Meminerint Principes, liberalitatem esse hamum aureum, quo corda hominum piscari solemus.

Donis capitur homo, *ut piscis* hamo.

Il dativo è per tutto optativo.

Oportet autem liberalitatem Principis esse gratuitam, quæ nullis sperati antidori fulcris nitatur. Cujusmodi liberalitas hac ætate nostrâ candido corvo est rarior.

Multi liberales apparent, sed liberalitate carent; quia dant parum, ut recipiant carum: dant ovem, ut acquirant bovem.

De hoc hominum genere dici solet:

Ovum dant nulli, nisi sit retributio pulli.

Sed hæc lucrosa liberalitas, ut sordidorum hominum est propria, ita excelsos Principum animos haut parum dedecet. Adhæc

Adhæc moderatam & ab omni prodigalitate sejunctam decet esse liberalitatem Principis. Nam prodigalitas est vicina inopiæ & egestati. Sicut enim opes comparat frugalitas, ita comparatas perdit prodigalitas.

Sparagnar genera le richezze, mà la figlia ammazza la Madre.

Prodigalità è camino à gran povertà.

Obtemperandum est itaque illi monito Italorum: *Non mangiar quanto puoi, ne dire quanto sai, ne spender quanto hai.*

Adhæc bonis Principum Consilijs incredibiliter obsunt immoderatæ largitiones; quia privant eos necessarijs medijs atque instrumentis Executionis: sine qua Consilia etiam optima sunt meræ speculationes, & steriles animæ non tam voluntates, quàm velleitates.

Sit igitur Princeps in donando moderatus, sibique persuadeat, quòd

quòd ſicut ab exigua, ſed conſtanti pluvia, terra magis, quàm à præcipiti nimbo irrigatur, ita liberalitas moderata multò majores benevolentiæ amoríſq; ſtimulos in pectoribus hominum, quàm effuſiſſima illa liberalitas & prodigalitas, relinquat.

Quatuor ſunt, ad quæ donaturum Principem oportet reſpicere, juxta documentum Italicum: *Nell donar s' ha da mirar à quattro coſe: à quello che dona, à chi ſi dona, alla cagione, perche dona, & al tempo, nell quale ſi dona.*

Hæc quatuor conſiderationes ſi nonnullis Principibus tam eſſent in uſu, quàm ſunt in oblivione; multæ donationes aut omitterentur, aut reſtringerentur. Et ſanè multò eſſet conſultius, reſtrictis donationibus comparcere, quàm expendere, quòd novâ injuriâ à ſubjectis populis repetatur. Nolim tamen Principes (quibus tam glorioſa eſt munificentia, quàm dedecoroſa prodigalitas) ſor-

didê

didè parcos atq; tenaces esse. *Regium est accipere parva, & largiri magna.*

Neque existimandum est, omnem erogationem splendidam, & sumptuosam esse vitium prodigalitatis, cùm non raro pertineat ad magnificentiam: quæ virtus est propria magnorum virorum, qui nonnunquam cum dignitatis ostentatione non illaudabili, ad proximi utilitatem, aut Dei honorem, opes ingentes profundunt in res amplas & illustres, ut sunt ædificia, basilicæ, palatia, urbium instauratio, aquarum deductio, propugnacula, portus, ludi Theatrales &c.

Pro exemplo Magnificentiæ statuere libet nuptias illas, quibus Carolus Audax Dux Burgundiæ Uxorem duxit Margaretam sororem Eduardi IV. Anglorum Regis. Cælebratæ sunt hæ nuptiæ Burgis oppido Flandriæ, apparatu perquam splendido & augusto. Domus nuptialis à fundamentis exstructa, incredibili

sumptu

ſumptu ac celeritate, ejúſque conclavia omnia tapetibus pretioſiſſimis exornata fuêre. In triclinio erectus abacus, in quo ad delectamentum oculorum pulcherrima omnis generis vaſa repoſita. Ex auro puriſſimo erant facta emunctoria, candelabra, malluvia, pelves, vaſcula potoria, diſci, ſalina, œnophora, patinæ, lances &c. Omnes vici, omnéſque domus, quà tranſitura erat ſponſa, pulcherrimis aulæis reſplendebant. Accerſiti undique nobiliſſimi artifices, ad excogitanda, conſtruenda, & concinnanda ea, quæ prætereuntium oculos oblectare poſſent. Prætereo edita toto oppido ſpectacula omnis generis, exhibitóſque ludos regionatim, & quidem per celeberrimos hiſtriones. In triclinio, ubi cum Sponſa & illuſtribus Viris diſcumbebat Princeps, quatuordecim partim argenteis, partim aureis navibus, quarum ſingulæ quatuor ſcaphulas

phulas habebant, fercula mensis illata sunt. Postquam exempta fames epulis, mensæque remotæ, sua etiam oculis exhibita sunt oblectamenta; ex quibus propè innumeris pauca referam. Illati sunt in triclinium pavones flammivomi, in quibus tantum artificij operæque insumptum est, ut à veris internosci vix potuerint. Introductus est leo, cui eximia pulchritudine Virgo insidebat, gestans manu insignia Principis Caroli. Ad ostentandam Magnificentiam, illatæ sunt turres argenteæ numero 30. quibus totidem Arces significabantur, quarum eâ tempestate dominus ac possessor erat Carolus. Postremò introductus est Dromedarius, cujus dorso impositæ erant sportulæ, è quibus omnis generis evolantes aviculæ, aures convivarum suavissimo cantu demulcebant.

Porrò in hujusmodi profusionibus habenda est ratio facultatum, quibus comensuratas esse oportet impensas.

Non est ille Magnificus, qui plura quàm habet, profundit, aut se suosque gravat ære alieno, ut magnificentiæ laudem consequatur.

Ad extremum, illud etiam considerari velim à Viris Principibus, omnem quidem prodigalitatem, sed eam tamen præcipuè illaudabilem ac reprehensione dignam esse, quæ se rebus inutilibus impendit. Hujusmodi profusiones amentiæ potiùs, quam magnificentiæ argumenta sunt.

Qui magnis sumptibus res inutiles comparant, multum expendunt, sed parum perpendunt: suntq; similes ijs, qui humo aureo vilissimos pisciculos piscantur.

Hujus farinæ fuerunt Galli illi: quorum alter Lutetiâ in Belgium misit lavanda indusia sua; alter singulis annis 500. coronatos in solas chirothecas expendit.

CAPUT XXIII.

Laboris tollerantia commendatur Principi.

PRincipem oportet esse non minùs patientem laboris, quàm capacem honoris. *Quo major, hoc laboriosior.* Fuit hoc symbolo usus Imperator Julius Maximus, imitatus Alexandrum M. qui dicere solebat, *nihil esse magis Regium, quàm laborem.*

Stultè igitur Dionysius Siculus otium reputavit Imperium, *quo nihil est in mundo negotiosius.*

Ille Princeps censetur optimus, (dictum Caroli Magni) *cui nomen* Adamus, *cognomen* Abrahamus: *hoc est, qui ut* Adam *laboriosus*, *ut* Abraham *pius & devotus est.*

* * *

CAPUT XXIV.

Moderata Cura minimorum decet Principem.

NOmnulli Principes curam minimorum nimiam, alij nullam gerunt. Utrique agunt imprudenter, & vel damnum, vel periculum damni incurrunt.

Res maximas exponit diſcrimini, qui res minimas nullâ ſuâ curâ dignatur. *Non ſunt contemnenda quaſi Minima, ſine quibus Maxima conſtare non poſſunt.*

At non eſt Viri prudentis, immodico ſtudio res minimas curare.

Princeps, qui curas opésque maximas rebus impendit minimis, eſt ſimilis araneo, qui in texturam perflatilis tentorioli impendit propria viſcera & ſe ipſum exenterat, ut ſuum illum in muſcarum perniciem prædatorium orbem concinnet.

Minima commoda magno ſectantes

~~tes~~ periculo, similes sunt aureo hamo piscantibus, cujus abrupti damnum nullâ capturâ resarciri potest. *Dictum Augusti Cæsaris.*

Incurius, imò sibi Deóque injurius est, qui curam habet maximorum minimam, minimorum maximam.

CAPUT XXV.

Quòd Rerum gerendarum occasiones Viro Principi minimè negligendæ sint.

Res maximæ occasione geruntur arreptâ, perduntur neglectâ. *Occasionis filia rerum gestarum gloria.*

Qui non vult uti occasione quando potest, non poterit, quando volet. Quia (ut Divus loquitur Augustinus) *per malum velle perdidit bonum posse. Con acqua passata non macina molino.*

Qui ne prend son avanture quand il peut, il ne l'a pas quand il veut.

Unde

Unde Campanella *DEum Prudentiam* & *Occasionem* omnium actionum politicarum principia constituit. *lib. de Monarchia Hispan. cap.* 1.

Omnes, non modò superiorum, sed etiam modernorum temporum annales referti sunt exemplis eorum, qui occasionibus oblatis prudenter usi res magnas, *Consilio & Industria* adjuvante gesserunt. Recens est, quod subjungo de Friderico Henrico Auriaco Principe; qui cùm filio secundogenitam Regis Angliæ filiam ambiens, repulsam tulisset; paulo post, occasione rebellionis in Anglia concitatæ, ubi opes suas contra rebelles Regi necessarias videbat, Primogenitam obtinuit.

Est autem præcipuus occasionis usus in re bellica: ubi quantas Illa arrepta victorias, tantas neglecta clades afferre solet. Cùm enim in bello nullâ minùs, quàm quâ putabatur, viâ progrediantur arma (*Thucydides lib.* 1.) & multa quæ nunc

non

non apparent, ex intervallo bellum aperiat (*Idem lib.* 28.) evidens est, Neminem de emergentibus casibus commodiùs rectiúsque statuere posse, quàm qui præsens negotijs interest: amittíque rerum gerendarum occasiones si ultro citroque mittendo, Senatûs aut Principis exquiratur voluntas.

In Republica Veneta, qui ad bellum mittuntur, non suis relinquuntur consilijs; sed arbitrium de summa rei certis finibus circumscriptum, domô secum afferunt in castra: ut sæpe ne quidem tormenta bellica ad feriendos muros alio loco modovè alio collocare audeant, quàm quo ipsis mandatum est. Nec sine gravissimæ timore pœnæ jussa Senatûs transcendere licet. Qui sanè agendi modus non raro egregias bene gerendæ rei occasiones corrumpit.

Justinianus lib. 6. Hist. Venet.

CAPUT XXVI.

Curam Famæ & boni Nominis habendam esse Principi.

NIl est pauperius homine, qui caret bono nomine.

Cætera si perdas, famam servare memento.

Fama est anima Hominis, quatenus animal politicum est.

Chi hà persa là fama, è morto al mondo.

Chi è diffamato, è mezzo impiccato.

Verissimum est illud Sacri Codicis oraculum: *Melius est nomen bonum, quàm divitiæ multæ.* Nam divitiæ famâ comparari possunt, divitijs fama emi non potest.

Val più un' onica di riputatione, che mille libre d' oro.


Non immeritò igitur Galli dicunt, tria esse, quæ tangi non debeant: *oculum, famam, religionem. La foy, l' oeil,*

& la

& la renommée ne veut gueres estre touchée.

Præcipuè verò necessaria est fama viris Principibus, ut sapienter observavit Maximilianus Elector Bavariæ in monitis ad filium, ubi ait: Princeps magnam habeat rationem famæ, sed veris virtutibus quæsitæ, ne famæ contemptu virtutem contemnere videatur. Cæteris Mortalium non perinde, atque Principi necessarium laudis ac posteritatis studium; illorum enim etsi parum honesta, obscura tamen & brevis est memoria: Principis verò excelso posita & longissima manet recordatio, & talis quidem, qualem suis moribus excitaverit. Omnia facta & dicta Principis rumor excipit, & plerumque in majus extollit: proinde qualecunque is nomen meruerit, sive clarum ac prosperum, sive fœdum ac infaustnm, Magnum illud est habiturus. Huc usque Maximilianus Elector.

Itaque Principes sæpe illud Augustini in mente habeant: *Duo sunt tibi Necessaria, conscientia & fama: Conscientia propter te, Fama propter proximum.*



CAPUT XXVII.

Nec activam, nec passivam aliorum despicientiam Principi decoram, aut proficuam esse.

ALiorum despicientia non rarò ingentium in Republica calamitatum origo fuit.

Tria vocabula turbant totum mundum: Despectus, Respectus, Suspectus.

Postquam Heraclius Imperator, cum Syroe Rege Persarum pacem pepigisset, & milites à signis dimittendi, ac stipendia ipsis persolvenda essent; is, cui Cæsar negotium hoc demandaverat, poscentibus stipendium

dium suum Saracenis seu Agarenis Arabibus (quorum multi in exercitu Cæsaris militaverant) respondit, in ærario vix tantùm esse pecuniæ, quantum sufficiat solutioni militum Romanorum & Græcorum: pro Canibus Arabicis nihil esse, quod erogetur. Quâ despicientiâ exacerbati Saraceni, in patriam rediêre, & ab Imperatoris obedientiâ (cui antehac semper fuerant subjecti & tributarij) defecêre: quibus se ducem præbuit Mahomet Turcarum Pseudopropheta. Unde malorum Ilias in Rempublicam Christianam profluxit.

Atque hoc despicientiæ spiculum tantò ferit acerbiùs, penetratque profundiùs, quantò Persona tam despiciens, quàm despecta est illustrior. Exemplo res patefiet. Theodoricus Marchio Brandeburgicus, Princeps potentiâ & studio rei militaris nimiùm insolens factus, cùm etiam Consiliarios arrogantia & elatione insignes

circa se haberet, eorumque impulsu nihil non temerè & injuriosè faceret, tandem sic depravatus est, ut existimaret sibi licere, quod vellet. Accidit autem, ut erga Mistovium Obotritorum Regulum, nuper ad Christianismum conversum (cui Dux Saxoniæ Bernardus sororem suam desponderat) & reliquam gentem Vandalicam valde iniquus & sævus esset. Nam in contumeliam ejus effecit, ut duo Lusatiorum Principes jussu Henrici II. capti, laqueo suspenderentur, suasórque Duci Bernardo fuit, ut sororem suam alteri desponderet, nec veritus est dicere: Vandalos esse indignos, quibuscum sanguis Germanicus misceatur. Quin etiam Ducem Saxoniæ admissurum dedecus, si cum isto cane (sic Mistovium appellare solebat) affinitate jungeretur. Hæ verò contumeliosæ & insolentes voces non solùm Theodorico, sed universæ ipsius ditioni, & Saxoniæ, rei-

que

que Christianæ multum attulere calamitatis. Mistovius enim hac contumelia ita irritatus fuit, ut abnegatâ fide Christianâ, totam Vandalicam gentem ad arma concitarit, & misso feciali ad Theodoricum, illi nuntiari jusserit, Mistovium canem Vandalicum jam jam editurum latratus, effecturúmque morsus, quos tota Marchia & Saxonia perhorrescat. Cùm autem Theodoricus non minùs halferociter respondisset, se curaturum canicidas, qui latratum & rabiem Vandalici canis compescant, & non expectato auxilio, cum Vandalis temere conflixisset, mox victus & profligatus, tota sua ditione exutus est, quoad vixit, nullis modis aut medijs ditionem suam à Vandalis recuperare potuit, neque amicorum quemquam habuit, cujus operâ restitueretur, omnibus adeò invisus, ut nemo ejus mentionem faceret, quin eum exacraretur. In perpetuo itaque exilio vitam traduxit

calamitosam, Magdeburgi Canonicorum eleemosinis sustentatus. *Georg. Sabinus in vita Theodorici Marchionis.*

Et despici, & despicere dedecorosum est Principi. Illo dignitatis, isto humanitatis jura violantur.

CAPUT XXVIII.

Obtrectationum tolerantia suadetur Principi.

SApientis & magnanimi Principis est, obtrectationes populares contemnere: vel eo solùm nomine, quòd inevitabiles sint. *Erga eminentes semper sinistra est vulgi interpretatio: nec minus periculum ex magna fama, quàm ex mala.*

Fieri quidem potest adulatione domesticorum, ne ad aures Principis penetret obtrectatio: ut verò nemo sit omninum, qui obtrectet, nulla indu-

induſtriâ conſequetur Princeps. Prohibuerat Vitellius, ne quis de rebus malè à ſe geſtis per urbem loqueretur: ſed inde plures, quia vetabantur, atrociora vulgabant. Prudentiùs Sixtus V. Pontifex, cùm malè de ipſo nonnulli in Urbe Romana loquerentur, id referenti reſpondit: *Sine eos loqui, modò ſinant me præcipere.* Laurentius Medices dicere ſolebat: *Loquantur illi, nos verò faciamus.* Sapienter Auguſtus Cæſar ad Tiberium: *Ætati tuæ mi Tiberi, noli hac in re indulgere, & nimium indignari quemquam eſſe, qui de me malè loquatur. Satis eſt, ſi hoc habemus, ne quis malè facere poſſit.* Si Princeps omnes maledicos & obtrectatores ſupplicio afficeret, vix hominem haberet, cui imperaret.

Optimum conſilium eſt, ut Princeps deſpectum deſpectu *puniat.*

Meretur reſpectum, *qui contemnit* deſpectum.

E degno d' eſſer honorato, chi diſprezza d' eſſer diſprezzato. CA-

CAPUT XXIX.

Quod Elatio animi etiam in Viro Principe vituperanda sit.

QUò difficilius eſt in corona ac ſceptro non ſuperbire, eò diligentiorm debet dare operam Chriſtianus Princeps, ut Chriſtianâ humilitate animum orbi imperantem contineat, ne elevetur.

Principem dedecet vilitas, *ſed non dedecet* Humilitas.

Humiltà non è Viltà.

Magni ſunt Principes, & majores eſſe cupiunt: audeant igitur Conſilium D. Auguſtini homil. 10. de ve b. Domini: *Magnus eſſe vis? à minimo incipe. Cogitas magnam fabricam conſtruere Celſitudinis? de fundamento priùs cogita humilitatis.* Principes, quorum Celſitudo caret fundamento humilitatis, citiùs à Deo (*qui ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam*) deprimentur in vallem humilia-

miliationis, quàm assurgent in montem majoris Dignitatis.

Lepidum est, quod Divus narrat Antoninus *p.* 2. *tit.* 3. *c.* 2. de quodam Tyranno, qui versus illos: *Dispersit superbos mente cordis sui: deposuit potentes de sede, & exaltavit humiles*, ex Mariæ Cantico eradi jussit; quod de sede sua se deponi posse negaret. Is cùm aliquando lavandi corporis gratiâ balneum ingressus esset, Angelus interim formâ illius ac specie assumptâ, vestes quoque Ejusdem induit atque ad domum ipsius unà cum aulicis se contulit. Tyrannus verò cùm peractâ corporis lotione, laceris ac vilibus indutus vestibus domum rediisset, atque *in Aulicos diras & minas jactaret* (verba sunt D. Antonini) *pro stolito habitus, ad Angelum deductus est, qui verus Princeps habebatur; à quo, postquam eum Aulici effusè derisissent, in penetrale admissus, déque modestia monitus, proprias vestes recepit, ac deinceps in honore tan-*

 quam

quam legitimus herus habitus, &c. Hactenus D. Antoninus de DEo deprimente superbum, & exaltante humiliatum.

Qui fuerat Princeps, postea nullus erat.

CAPUT XXX.

Castimoniam Principi colendam esse.

UT Princeps sæcularis amores inconcessos tantò facilius evitet, Uxor ipsi ducenda, & ab alienis uxoribus abstinendum est.

Raro alienarum Uxorum attrectatio Principi immunis fuit.

Florentius V. Hollandiæ & Zelandiæ Comes volebat Gerardo Velsio Nobili Batavo in aula versanti concubinam suam in Uxorem obtrudere. Quod ille recusans, respondit, meretricem ducere nec honestati, nec natalibus suis congruere. At Princeps stultum eum esse dicebat,

bat, qui tam probatæ pudicitiæ Uxorem reperturum se putaret, quàm non ipse ad stuprum se pertracturum confideret. Cúmque Velsius postea Concubinam illam Matrimonio sibi copulasset, fuit ea, absente marito, à Principe prioris consuetudinis non dum oblito stuprata. Quæ injuria animum Velsij vehementissimè pupugit. Ergo conjuratione initâ cum propinquis Uxoris suæ, Florentium Ultrajecto in Hollandiam redeuntem gladio transverberavit, celerique fugâ sese proripuit. *Ex Histor. Fris.*



CAPUT XXXI.

Quòd affectus Uxorius parum deceat viros Principes.

MInimè decet Principem esse Uxorium, in ijs precipuè rebus, quæ ad gubernationem Reipublicæ pertinent.

Populus malè regitur à Principe, si Princeps regitur ab Uxore.

De Themiſtocle Uxorio Principe talis facta eſt olim ſorites. Tota Græcia paret Athenienſibus, Athenienſes parent Themiſtocli, Themiſtocles paret filiolo; ergo tota Græcia paret filiolo Themiſtoclis.



CAPUT XXXII.

Sedulam filiorum educationem incumbere Principi.

FIlij Heroum non ſemper ſunt Heroes. Sæpe aurei Patres filios genuerunt plumbeos: cùm etiam è ſpinis roſæ prodeant, & ex ovis albis nigri pulli generentur, & acetum ſit vini filius, ut loquitur Cauſabonus.

Tres filij Conſtantini Magni, Conſtantinus Conſtans & Conſtantius, tantùm à paterna indole in omni genere laudis receſſerunt, quantum ille

ille superiores Principes omnes pietate animíque magnitudine superavit. Neque enim Constantino filio quisquam ad vitam incautior: Constante ad indecoras voluptates proclivior: Constantio aut levior, aut ad arrogantiam intollerabilior fuit. *Sigonius.*

M. Tullius filium reliquit potatorem, ipse sobrietatis amantissimus.

Augustus Cæsar nec adoptivum bonum filium habuit.

SeptimiusSeverus(de quoSenatus judicabat, illum aut nasci non debuisse, aut non mori) Bassianum genuit,qui fratrem interemit,& Novercam propriam uxorem duxit.

Pericles tres filios reliquit: duos stupidos, tertium furiosum.

Wenceslaus Caroli IV. Imperatoris strenui & sapientis Filius, Patre mortuo non tam gessit Imperium, quàm infecit. Vino lustrísque marcidus, paternam sapientiam turpissimis vitijs obli-

oblitteravit. Imò cæteris flagitijs crudelitatem adjungens, Carnificem habebat pro comite, qui ad nutum novi Neronis quemque, ut esset libitum, interficeret.

Quapropter si Princeps in liberis suis (cùm in se ipso non possit) etiam post funera vivere cupiat, totâ animi contentione in probam eorundem educationem incumbat necesse est.

Homines genitura, boni homines cultura fiunt.

Quòd si Princeps liberos proprios, sibi tam arcta sanguinis communione conjunctos, regere aut non velit, cùm possit; aut non possit, cùm velit: nescio sanè, an bona gubernatio Reipublicæ ab eo speranda sit.

* * * *
* ** *
*

CA-

CAPUT XXXIII.

Sobrietatem Principi maximè necessariam esse.

PRinceps à nimia vini potatione, tamquàm à peste boni Regiminis abstineat.

Sub ebrioso capite vacillat corpus Reipublicæ.

Tale caput fuit Wenceslaus Imperator, qui sæpè inter purpuratos suos in hæc verba prorumpebat: Ego cùm diripiendis Italiæ urbibus cum exercitu Italiam ingressus fuero, æterarumque rerum prædam militibus distribuam, vini spolijs mihi reservatis. Si quis autem cellam vinariam injussu meo fuerit ingressus, gladio ferietur. *Æneas Sylvius.*

Idem ille Imperatorum ignavissimus, de fastigio dignitatis Cæsareæ dejectus, deficientibus ab eo passim Imperij Ordinibus, cùm

cùm Norimbergenses religionem datæ fidei vererentur, & ab eo solutionem juramenti peterent, adjectâ promissione viginti millium florenonorum; homo ebriosus, auditis legatis, liberos Norimbergenses pronunciavit, si quatuor currus vino Rhenensi, Baccharacensis crescentiæ, onustos traderent.



CAPUT XXXIV.

Quòd Princeps authoritatis suæ custos & conservator esse debeat.

QUamvis in Principibus commendari plurimùm soleat Humanitas & popularitas: quia hæc gemina virtus est efficacissima conciliatricula affectuum in subditis; cùm habeat nescio quid blandissimæ violentiæ, ad catenandos affectus subditorum, excelsa dignitas, quoties se ad inferiorem sortem studiorum comunione demittit; providendum

eſt tamen, ne nimio popularitatis, humanitatisque affectu minuatur authoritas: quæ vel eſt ipſa principis dignitas, vel ita cum dignitate conjuncta, ut altera ab altera nullo poſſit ſeparari divortio. *Princeps ſine authoritate, eſt pavo ſine cauda*: Dictum cujuſdam Politici. *Authoritas Imperantis eſt vita & anima Imperij.*

Itaque Principes magno in eam rem ſtudio incumbant, ne unquam decus inclytum authoritatis ſuæ proſtituant: ſciántq; jacturam iſtam difficillimè reparari poſſe. *Duo ſunt, quæ ſemel amiſſa ægrè recuperantur: Verecundia & læſa authoritas.*

Sit itaque Princeps humanus erga omnes, ſed non nimiùm familiaris: quia familiaritatis incrementum eſt authoritatis decrementum. *Quatuor bonæ Matres pariunt quatuor peſſimas filias. Veritas parit odium, proſperitas ſuperbiam, ſecuritas periculum, familiaritas contemptum.*

C A-

CAPUT XXXV.

Quòd Princeps res arduas prudenter aggredi debeat.

PRudenter aggreditur ardua, qui ante aggressionem ea metitur viribus suis. Negotia ardua viribus magnis aggredienda sunt: quæ si desint, præstat tutò humilia, quàm periculosè summa sectari. *Noli tentare, si non potes consummare.*

Prudens est monitio Italorum: *Guardisi di non tentare impresa, che sia sopra le sue forze, e di non entrar in negotio, che sia sicuro d' haverne à riuscir honoratamente.*

Che non vede il fondo, non passi l'acqua.

Ut felicitatis est, quantum velis posse, ita magnitudinis est, velle quantum possis.

Chi non può come vuole, voglia come può. Fa il passo secondo la gamba.

CAPUT XXXVI.

Quòd prudens Legislatio incumbat Principi.

Bonis

BOnis legibus & Reges & Regna conservantur. *Custodia legum, Custodia Regum.*

Tria conservant Rempublicam: Bona lex, Bonus Rex, Bonus Grex.

Sed cavendum est, ne legislatio sit imprudens. Foret autem imprudens, primò, si esset valdè mutabilis. *Nullâ aliâ re magis labefactatur status civitatis, quàm crebrâ legum mutatione.*

Secundò, si potestatem legislativã, ipsumq; legislatorem periculo contemptûs exponeret. *Sapientis est abstinere à ferendis legibus, quarum injuriam ulcisci non possit.*

Tertiò, si lex hominum naturæ atq; ingenio, præsentiq; sæculo, in quo vivitur, minimè esset consentanea: vel ea juberet, *quibus jam pares non sumus*, ut loquitur Tacitus 1. *hist.*

Quartò, si lex subderetur arbitrio subditorum. *Leges hominum dominas esse, nō homines legū dominos esse oportet.*

Quintò, si lex non mandaretur executioni. *Lex sine executione, est veluti campana sine pistillo.*

CAPUT XXXVII.

Abstinendum esse Principi à novitatibus in forma Regiminis.

PRudentes Principes meritò abstinent ab introductione novitatum in forma Regiminis, quæ plerúmque plus habent periculi, quàm emolumenti.

Qui deserit vias antiquas, invenit molestias novas.

Chi lascia la via vecchia per la nuova, spesso ingannato si ritrova.

Certè Nobiles Castellæ arma sumpserunt adversus Regem Henricum III. qui novitatis studio privilegia eorum evertere volebat.

Eandem ob causam Ramirus Rex Legionis Subditos suos Rebelles expertus est, teste Marianâ *l.*11.*hist.c.*14.

Unica (inquit Trajanus Boccalinus) est ratio feliciter imperandi populis (præsertim ijs, qui Optimatum & electione, & sub

certis

certis conditionibus in alterius Principis ditionem venerunt) si nimirum à pactis illis Princeps, ne latum quidem unguem discedat: neque ex legibus, moribus, institutis, privilegijs, immunitatibus subjectorum quidquam immutet, aut imminuat, sed totam Rempublicam in priori statu relinquat.

Philippus II. Hispan. Rex laudem meruit amplissimam, quòd, cùm scripturam, quâ delictorum gratiam Lusitanis recenter subactis faciebat, publicaret, Lusitanicâ linguâ eam confici jusserit, & solos Lusitaniæ Regum titulos, cæteris omissis, usurpaverit. cúmq; soleret litteris publicis subscribere: *Ego Rex*; hic tantùm scripserit, *Rex* cum quinque punctis :.: quæ Lusitani vulnera appellant: prorsus ad morem Lusitaniæ Regibus usitatum.

Itaque contra leges prudentiæ delinquit Princeps, qui permittit, ut novi Provinciarum, vel civitâtum Rectores

ctores, crebrum novis inventis gravidum afferentes, novos mores, novos homines, nova instituta Provincialibus obtrudant: quæ frequentissima turbarum & dissensionum materia est.

Quantò prudentiùs ageretur, si populis relinquerentur acceptæ à Majoribus consuetudines. Magni enim faciunt Provinciales, si sua sibi, quibus assueverunt, jura serventur illæsa.

Unde regendis populis aptiores judicantur, qui sunt ingenio tardiori & quieto, résque hominibus, & homines rebus, prout repererunt, permittunt; quàm qui inordinatâ novandi omnia cupiditate ducti, res hominésque ingenio suo, plerúmq; heteroclito, adaptant: eo sæpe successu, ut à jurgijs morem veterem impugnantium propugnantiúmque, ad arma tandem & bellum provocetur: si præsertim privilegij retinendi causâ propugnatio suscepta fuerit.

Fuit

Fuit ſanè hæc ſemper, eſtq; hodiè penè unica civilium diſſidiorum armorúmque cauſa, quòd Principibus, Principúmque miniſtris perſuaſum ſit, immunitates ac prærogativas populis non alio fine concedi, quàm pueris plorantibus ceraſa & crepundia: auferenda rurſus, cùm plorare deſierint.



CAPUT XXXVIII.

Quòd Principes abſtinere deceat à vindicta, quæ cum periculo vindicantis conjuncta eſt.

PRudentis eſt, ſecuritati priùs, quàm vindictæ, conſulere.

Hoc dictamen omnibus quidem, præcipuè tamen populorum Rectoribus, inculcandum eſt. Quis enim proſperos gubernationis ſucceſſus ab eo exſpectet Principe, qui animo tam

tam eſt impotenti & imprudenti, ut ſe ſuúmque ſibi comiſſam Rempublicam in diſcrimen adducere, quàm ultionem in tempus oportunum differre malit?

Catharina Medicæa Galliæ Regina illud Perpetuò in ore habebat: non fodiendos crabrones, niſi facie priùs bene velatâ. *E neceſſario copri ſi bene il viſo, inanzi che ſtuzzicare il veſparo.*




CAP. XXXVIII.

Eos, qui ſua Principi obſequia offerunt, non contemnendos, ſed benevolè excipiendos eſſe.

PErverſio conſilio contemni eos, qui ſuam Principi offerunt operam, patet exemplo Friderici Jambelli, machinarum bellicarum ſummi ac ſine pari artificis: qui ex

Italia

Italia in Hiſpaniam profectus, diu tentaverat aditum ad Regem, operam ſuam eidem oblaturus. Sed admiſſione dilatâ, & ad dilationem accedente contemptu, abſceſſit inde ferox, interminatus, effecturum ſe, ut ſpreti hominis nomen aliquando cum lacrymis Hiſpanus audiret. Inde profectus eſt Antuerpiam ad Hollandos *Hiſpanorum* hoſtes: ubi in horum, paulò pòſt Urbem obſidentium, perniciem, eas fabricavit machinas, quibus ab omni ſæculorum memoriâ nihil unquam portentoſius auditum fuit: adeo ut multorum opinio fuerit, ex ipſis Inferorum fornacibus aſcendiſſe ferales ignes, tonitrua & fulgura de cælo magicis carminibus evocata, peſtilentem halitum ex Avernali lacu attractum, aquam ipſam præter naturam perurentem, ex ipſa Stygia palude derivatum eſſe. *Strada de bell. Belg. dec. 2.*



CAPUT XL.

De nimia credulitate & confidentia à Principibus vitanda.

NImia credulitas & confidentia est occasio multarum deceptionum.

Qui leviter credit, deceptus ſæpe recedit. Nullus vir gravis *eſt in credendo* Levis.

Quapropter fiduciam Principis oportet eſſe oculatam & circumſpectam.

Fidendum eſt, ſed videndum, cui fidendum.

Fide igitur: ſed *Vide*, cui fidas. *Vide*, quas notas probitatis improbitatíſque gerat is, cui fidere cogitas. *Vide*, quid tibi de illius fidelitate meritò polliceri queas. *Vide*, an famæ vita, verbis facta, indici linguæ horologium cordis correſpondeant. Denique *Fide*

Fide parum, multúmque vide; nam fidere multum,
Et vidisse parum, Maxima damna parit.

Optimum adversùs hominum perversorum fraudes remedium est, *Fidere paucis, & parum.*

Prudenter Itali: *Chi non si fida, non vien ingannato.*

Prudens diffidentia principium est timoris, timor principium cautelæ, cautela principium securitatis, securitas principium salutis.

Noli itaque nimiùm fidere hominibus; quia homines facilè & fallunt, & falluntur. Fallunt ex nequitia, falluntur ex inscitia. Eorum scientia est docta ignorantia, opulentia speciosa mendicitas, munificentia palliatum mutuum, amicitia tecta philautia, spes amabile somnium.

* * *



CAPUT XLI.

Periculosam esse Principi nimiam audaciam.

MElius est nimiùm cavere, quàm nimiùm audere. Quia minùs nocet in rebus securis metus, quàm in metuendis securitas. Prudentia dictat, nihil per pericula faciendum esse iis, qui non sunt in periculo. Quanquam in periculis adeundis quædam est viro forti servanda mediocritas. *Qui omnia pericula timet, nihil aggreditur; qui nulla, facillimè perditur.*

Itaque locus inter pericula medius est optimus: nonnulla subeunda fortiter, alia declinanda prudenter; præsertim si vires deficiant. Sicuti enim vana est ira sine viribus (*l' ira senza forza non vale una scorza*) ita periculosa est audacia, si vires non suppetant Spiritibus.



CAPUT XLII.

Abstinendum esse Principi ab injusta rerum alienarum contrectatione.

IN hoc mundo sunt quatuor conditiones & proprietates hominum.

Prima eorum est, qui dicunt: *Quod meum est, tuum est; & quod tuum est, meum est.* Hi sunt idiotæ.

Secunda est eorum, qui dicunt: *Quod meum est, meum est, & quod tuum est, tuum est.* Hæc est conditio mediocris.

Tertia eorum, qui dicunt: *Quod meum est, tuum est; & quod tuum est, tuum sit.* Hi boni & pij sunt.

Quarta eorum, qui dicunt: *Quod tuum est, meum est; & quod meum est, meum sit.* Tales sunt nequam & impij, sed non impunè.

Nam qui manum prædatricem

immittunt in bona aliena, plerumque pœnam talionis luunt. *Qui locupletatur rapiendo aliena, depauperatur amittendo propria. Chi d' altri si veste, presto si spoglia. Poco saggio è colui, che perde il suo per acquistar l' altrui.*

In recenti Moscovitarum historia legimus, Tartarorum Principem poculo ex capti Moscovitæ calcaria facto, majusculis literis hæc verba inscribi jussisse: *Hic homo aliena appetendo propria amisit.*

E contrario felicem ducunt vitam, qui de felicitate rebúsque proximi nihil decerpentes, suâ sorte, suisque bonis ac donis contenti sunt, & fortunam suis, non alienis facultatibus metiuntur.

Saluberrimum est monitum, quod quidam his versibus complexus est.

Esto quod es; quod sunt alij, sine quemlibet esse.
Quod non esse potes, non etiam esse velis.

Magna

Magna virtus est, magna non magnis conatibus sectari.

Non est modicum, modico contentum vivere.

Non è poco, il saperſi di contentar di poco.

Cuor contento, gran talento.

Contentezza paſſa ricchezza.

Huic dictamini quia non obtemperarunt Græci, qui Anno mundi 3630. Siciliam instigante Alcibiade bello adorti sunt, ideo opes eorum hostili ferro concisæ fuerunt: amissis militum quadraginta millibus, captis navibus 130. captivis ducibus Nicia & Demosthene, reliquis in Latumias & servitutem abreptis.

Discant, qui invadunt aliena, se casuros suis, nullámque graviorem esse jacturam, quàm augmentum cupiditatis.





CAPUT XLIII.

De futurorum prævidentia & providentia ad officium Principis requisita.

DUo sunt Officij Principalis veluti cardines, *Prævidentia* & *Providentia*. Utraque est malorum Medicina præservativa: Sed posterior paratu difficilior, quàm prior. *Facile est* Videre, *difficile* prævidere, *difficilimum* providere. Nemo tamen meliùs *providet* malis, quàm qui *prævidet* mala. *Cosa prevista, mezza provista.*

Omissio Providentiæ subsequam habet pœnitentiam. Sed optabilior est *Providentia*, quàm *Pœnitentia*. Sicut enim melius est non cadere, quam post lapsum resurgere; ita præstabilius est *providere*, ne pœniteas, quàm *pœnitere*, quia non providisti.

CA-

CAPUT XLIV.

Principes debere esse patientes monitionum.

APem propter aculeum non odisti, sed propter fructum mellis foves & nutris; cur igitur aculeatas Monitorum tuorum voces odisti? Dolendum est sanè, in Aulis Principum gratiores esse adulatores, quàm monitores.


In Aula pauci sunt Principis monitores, qui doceant, sed multi adulatores, qui noceant.

Nam pauci sunt, qui imitari audeant animosum illud facinus Mecœnatis; qui, cùm aliquando Augustus Imperator multos esset morte damnaturus, nec Mecœnas propter circumstantium corònam ad eum perrumpere posset, inscripsit schedulæ hæc verba:

SURGE TANDEM CARNIFEX, eamq; in Augusti sinum projecit. Quâ

lectâ, Augustus statim surrexit, dimisitque quos erat interfecturus. *Dio Cassius.*

Valde commendatur à scriptoribus historiæ Gallicanæ prudentissima pietas S. Ludovici, qui hoc monito filium successorem instruxit: *Ita te gerito, ut Confessarij & familiares tui possint te liberè admonere mali quod feceris; Siquidem Natura humana in his rebus, quæ ad voluptatem pertinent, ad id sæpius inclinatur, quod sibi detrimento esse solet, atque id unum profuturum putat, quod ipsa cupit perficere.*



CAPUT XLV.

Fraudulentam astutiam Principibus dedecorsam esse.

MAgnopere dedecet Principes animus fallax & dolosus, si præsertim vulpina astutia cum voluntate nocendi conjuncta sit. Principem opor-

oportet ita esse syncerum & fidelem, ut decipere non velit: ita prudentem & circumspectum, ut decipi non possit. *Decipere malignitatis, decipi simplicitatis est.*

Lex Christiana, uti candorem animi & columbinam simplicitatem suadet & approbat, ita duplicitatem dolosámque astutiam, tanquam veræ prudentiæ inimicam, damnat & prohibet. Et sanè fraudulenta astutia non raro infelices sortitur exitus. Quemadmodum enim ij omnes, qui animo sunt candido & syncero, versantur in amorib⁹ omnium, & plenis rerum successibus lætantur; ita è contrario qui callidi sunt, & nectendis dolis student, incurrunt odia cæterorum hominum, multísq; sinistræ fortunæ jaculis confossi, malitiosæ calliditatis pœnas luunt.

Achitophel post tot fraudū laqueos aliis injectos, tandem & ipso collo proprio injecit laqueum, quo contaminatam animam infelici morte extrusit.

Jugurtha Romanorum triumphis ludibrio fuit.

Tiberium proprius heres suffocavit.

Andronicus Imperator, qui pupillum vafrè deceptum interemerat, effossis oculis, & dirum in modum laceratus à populo, vitam finiit.

Ludovicus Sfortia, cùm tutelæ specie Mediolanensem Principatum usurpasset, spe potiundæ Apuliæ, Gallos in Italiam accivit, ut Alphonsi sibi imminentis arma diverteret. Mox idem, quos evocarat socios, pessimis artibus prodidit, præcipuus dolorum omnium eâ ætate in Europa faber. Sed tandem potestate exutus, spoliatus libertate, in arce Lochiensi conclusus, per decennium pœnas veritati dedit, & extremum spiritum exhausit in carcere.

Complures alij amplexi sunt artes & strophas Tiberianas, Herodianas, Macchiavellicas: hoc est, subdolas, versipelles, pseudopoliticas;

qua-

quarum præmium fuit vita anceps, spes lubrica, certus metus, incerta consilia, mors calamitosa, longum supplicium, posteritas aut nulla, aut brevis.



CAPUT XLVI.

Prudentem simulationem non esse illaudabilem in viris Principibus.

NOn ego omnes Principum aliorúmque Politicorum simulationes & dissimulationes damnaverim; cùm non raro tam prudenter usurpentur, quàm periculosè negliguntur.

Aulicæ Prudentiæ centrum est simulatio & dissimulatio.

Pleraque Politicorum stratagemata perficiuntur dissimulando quod est, & simulando quod non est.

Simulatione profectò nonnunquam est opus, ut nec videre, nec audire te sentiant alij, quæ tamen vides & audis.

Magna prudentia est, simulare nonnunquam cæcitatem in visis, & surditatem in auditis, juxta proverbium Arabibus usitatum: *Esto inter homines surdus audiens, cæcus videns, mutus loquens.*

In Historia Florentina refertur, quòd, cùm Joannis Visconrij Milites, qui Pisis in præsidio collocati erant, civium contumeliis irritatorum factione urbe pulsi essent; Galeatius increpando militum protervia, laudandóque cives, quòd necessitate adacti militum injurias ulti essent, Pisas retinuerit. Quæ urbs, nisi prudens simulatio intercessisset, confestim ad Hostes Florentinos defecisset.

Non est itaque probandus rigor ille Stoicorum, qui nusquam & nunquam simulandum viro cordato putant. Enimverò præclarissimos viros simulatione nonnunquam usos esse, complures testantur historiæ. Simulavit Abraham in Conjuge Sororem, & Jacob in seipso fratrem Esau. Simulavit

lavit David ſtultitiam, & Chriſtus ipſe *ſe finxit longiùs ire.* Lucæ 24. Notæ ſunt ſimulationes & diſſimulationes Magni Athanaſij, quibus ille non ſemel feliciter uſus fuit. Laudabiliter uſurparunt eaſdem Senatores Romani, ne profundas Tiberij Cæſaris machinationes, fraudes, inſidias ſcire viderentur, damno ſuo, emolumento nullo alieno, néve exaſperarent commotum Imperatoris animum, & occaſionem darent ad deteriora flectendi.

Et quis obſecro aut imperet hac ætate prudenter, aut vivat hac tempeſtate feliciter, ſi, quidquid occurrerit, effundere cogatur, quacunque fortunarum, gloriæ, aut ſanguinis jactura? quis, cùm de univerſa Republica agitur, aut de conjugum, liberorum, opum incolumitate, non putet nocitura tegi poſſe? Jam ſi quis ferrum in alium paret, cogárne prodere rogatus latentem, ut extrahatur è latebris jugulandus? nemo ſanè, qui fatuus non ſit, conſilio ſuo hæc approbaverit.

Por-

Porrò licet vir prudens ſimulare & diſſimulare nonnunquam & poſſit, & debeat, cùm aut privatum, aut publicum bonum id exigit; minimè tamen laudandi ſunt illi, qui ſimulationibus tam frequentibus utuntur, ut nihil certi promittere tibi ab eorum candore poſſis; adeoque neſcias, ſentiant quod dicunt, an ſecùs. Oſtentant illi ſe velle, quod nolunt; nolle, quod volunt, ambire, quod averſantur; averſari, quod ambiunt. damnant improbos, ipſi improbiſſimi: laudant probos, probitatis ignari: pietatē vultu præferunt, omnis impietatis mancipia: aliud ore promunt, aliud mente recondunt, ſexcentis clavibus occluſâ, nulli unquam recludendâ: quòs cùm tenere te arbitraberis, elabentur; quóque ſtrinxeris magis, elabentur magis, lubricitate prorſus ſerpentinâ.

His omnibus tamen deteſtabiliores ſunt illi Pſeudopolitici, quorum eſt cum malevolentia conjuncta, ſtudióque nocendi imbuta, ſimulationis & diſſimulationis calliditas. Rem

Rem declarabit apologus, ex facetiis Pogianis desumptus.

Fortè gallo gallinaceo auctore, atq; duce, arborem excelsam gallinæ conscenderant, cùm famelica vulpes accedens, gallum placidè salutat: & quid tu, inquit, in sublimi agis? an tu nondum illa bona nova, nova toti animantium generi salutifera accepisti? Neutiquam, ait gallus: velim ea ex ore tuo, si citra molestiam tuam fieri possit, percipere. Volo te participem facere magnæ lætitiæ, ait Vulpes. Actus est conventus omnium animantium, in eóque factum decretum de concordia & pace inter ea sempiternâ: ita ut deinceps nihil cuiquam ab alio insidiarum, injuriarúmque timendum sit. Quamobrem cum uxoribus & filiabus tuis descendas, ut hoc gaudium communiter agitemus. Sensit artem gallus, & artem arte eludens, lætum, ait, mihíque acceptum affers nuntium. Quibus dictis surrigens collum, ac sese altiùs in pedes extollens

tollens, prospectúmque longiorem cum admiratione simulans, quærente vulpe, quid videret, duos, inquit, canes bene magnos, patulo rictu advenitantes conspicio. Hîc vulpes, valete vos: mihi à fuga petenda est salus, antequam canes adsint. Ac mox se in pedes conjicit. Tum gallus, cur hinc fugis? quid pace inter animantes conclusâ metuis? Cui vulpes respectans, ait: ast mihi non constat, utrum isti duo canes conventui interfuerint, & senatusconsultum audiverint. Sic ars deluditur arte. *L'inganno trova l'inganno.*

In hac vulpecula Pogiana adumbratam cerno indolem Pseudopoliticorum, qui amant amicitias simulatas, sibi soli lucrosas, & cum aliorum interitu conjunctas.

Quòd si hæc hominum portenta è propinquo intueri cupias, ingredere quorundam Principum malè ordinatas pejùs moratas Aulas: ubi cernes fidem à perfidia exclusam, candorem animi

animi à duplicitate proſtratum, ſimplicitatem columbinam ab aſtutiâ vulpinâ eliminatam. Datam fidem fallere, mille licet juramentis firmatam, inter eos quoddam elegantiæ genus eſt. Si quis veritati ſtudeat, cenſetur eſſe ingenij ſimplicioris, quàm aulam, aulicósque mores deceat. Fallere, ſocium circumvenire, pecuniam malis artibus parare, ſua prodigere, aliena rapere, falſis ſociorum delationibus, ad majora conſcendere, aliorum everſionibus ſe ſuáque ſtabilire, ſacra in profanorum ſubſidia evocare, ea demum conſummata Aulicorũ laus eſt. Ubi videris prolixè omnia obſequia deferentem, & verbis byſſinis aureos montes pollicentem, alia omnia cogita, amicum ore refert, fors hoſtem animo circumfert. Erit, qui tibi ſemihoræ ſpatio millies dicant, *ſervitore, ſorvitore* :& tantùm *ſervit ore, ſervit ore.*

Jam quid ego memorem larvam hypocriticam, ſub qua hi Perſonati impro-

probitatis Architecti non levia tegere nituntur facinora. Prætexunt illi justitiam, & est tyrannis. Prætendunt necessitatem, & est libido. Ajunt sibi propositum esse bonum publicum, & quærunt privatum. Jactant œconomicam prudentiam, & est avara tenacitas. Exhibent speciem auctoritatis conservandæ, & est Sathanica superbia. Confingunt sexcentos titulos virtutum, & latent mille portenta vitiorum.



CAP. XLVII.

Quòd Fidelitas in Promissis deceat Principem.

Usitatum inter Hispanos fertur proverbium, ut siquis contra animi sententiam aliquid promittat, dicant esse *palabras de cemplimiento*: id est, *verba honoraria*, præsertim si à

Viro Prin cipe proferantur; cum ejus *honori* parum ſint conſentanea.


Qui non præſtat quod promiſit, reprehenſionem meretur, ſi eſt oblitus: magis etiam, ſi non oblitus. Oblitum fuiſſe, vix amici eſt: non præſtare, cùm recorderis, prorſus inimici eſt.

Chi promette, in debito ſi mette.

Il promettere è la vigilia del dare.

At dicunt, qui infideles ſunt in promiſſis: *Dominorum eſt promittere, ruſticorum ſervare.*

Ego autem dixerim: *Si dominorum eſt promittere, ruſticorum erit non ſervare.*



CAP. XLVIII.

Quòd Perfidia dedeceat Principem.

PErfidia Principum uti Deo hominibúsque exoſa eſt, ita perlæpe divinam humanámque experitur ultionem.

Refert Antonius Bonfinius. *lib.26. de rebus Hungar. decat.*3. compositis inter Uladislaum Regem Hungariæ, & Amurathem Turcarum Imperatorem rebus omnibus, Hungarum violato fœdere bellum intulisse Turcis; eorúmque Imperatorem, cùm suos in prælio non sine magna clade fugari conspicaretur, ad ulciscendam Christianorum perfidiam, vindicandúmque jus malè rescissæ pacis, deprompsisse è sinu codicem, quo formula fœderis cum Hungaro initi continebatur, sublatísque in cœlum oculis, his ipsis, quæ subjicio, verbis Christum compellasse: *Hæc sunt Jesu Christe fœdera, quæ Christiani tui mecum pepigerunt, per numen tuum sanctè jurarunt, datámque sub nomine tuo fidem violarunt, perfidè Deum suum abnegarunt. nunc Christe, si Deus es (ut ajunt) & nos halucinamur, tuas meásq; injurias ulciscere.* Vix hæc protulerat, cùm repentè mutatâ belli aleâ, Turcæ animos resumpserunt, prælium redintegrarunt, & conjectis in

fugam

fugam Hungaris, trucidatóque Rege Uladislao, memorabilem victoriam reportarunt.

Carolus Audax Dux Burgundiæ cùm Lotharingiam occupasset, 250. Helvetios fide circumventos suspendio necavit, ac deinde arcem Granseium obsidione cinxit, quam præsidio tenebant 300. Helvetij: qui cùm fame & nitrati pulveris inopiâ compulsi deditionem fecissent, eâ conditione, ut cum suis reculis incolumes abire sinerentur, hostis perfidus eorum alios ex arboribus suspendendos, alios funi annexos, seriatim crudelissimè in vicino lacu submergendos curavit: non tamen impunè, quando tertio pòst die Helvetij cum valido exercitu aggressi, eum in fugam verterunt, & captis castris Burgundicis, prædâ ingenti, decies centenis aureorum millibus æstimatâ, potiti sunt.

CAP.



CAP. XLIX.

Quòd clementia Principis severitate miscenda sit.

NOn est alia virtus, quæ magis deceat Principem, quàm Clementia. Hæc est munimentum inexpugnabile, quæ tutum reddit Imperium. Malus Princeps invisus est, quia timetur: & timeri vult, quia invisus est. Quem verò metuunt subditi, oderunt, & quem quisque odit, perisse cupit.

Interdum supplicibus supplicium à Principe, Christianâ mansuetudine imbuto, condonandum est: neque semper delinquentium *pœnâ*, sed *pœnitentiâ* sæpius contentum esse oportet; cùm gloriosius Principi sit, *reatum*, quàm *reum* de medio sustulisse.

Turpia sunt Principi multa supplicia, sicut Medico multa funera.

Et nonne melius est, populo per clemen-

men-

mentiam dare causam *respirandi*, quàm per tyrannidem præbere occasionem *conspirandi*?

Omne imperium meliùs collatis beneficiis, quàm illatis suppliciis stabilitur. Beneficium enim nihil est aliud, quàm quoddam ab amore impressum vestigium, quod dum cernit subditus, illico amanti Domino collum submittit.

Sopra l' amore de' popoli si stabilisce l' imperio. Chi seppe con arte pigliar il dominio de gli animi, non havrà fatica nel maneggio del resto.

Tutto, puo, chi è Padrone de cuori.

In regno felicis regiminis clementia est moneta, quâ emuntur omnia à Principibus.

Oportet tamen clementiam Principis esse moderatam, & velut oxymel ex dulci melle lenitatis, atque acri aceto severitatis temperatam.

Nimia clementia non est Regis Virtus, *sed Regni* Virus.

Bonitas nimis *magna*, *est bonitas* minùs *magna*.

Non est ille bonus, qui ne malis quidem malus est.

Indurata perversorum hominum malitia non *ferenda*, sed *ferienda* est; non tamen sine congruo temperamento: ut nec nimiâ asperitate exulcerentur, nec nimiâ benignitate solvantur subditorum animi.

In Insulis fortunatis, quas Canarias appellant, reperiuntur poma citrea, quorum alterum altero includitur: & alterum acrem, alterum dulcem habet medullam; teste Bedraddino in eo libello, quem de animi relaxatione, per sensus corporis percipienda, conscripsit.

Hujusmodi duplicem fructum, alterum acrem severitatis, non modò in Principibus, sed etiam in substitutis eorum Officialibus requisivit Imperator Trajanus: qui proindè his pro symbolo dare solebat *Fulmen super* *pul-*

pulvillum, cum lemmate, *lenis severitas*.

Hæc *lenis severitas* Principi, corruptos Reipublicæ mores emendaturo, prorsus necessaria est: ne, dum corruptum membrum altiùs secatur, detruncetur corpus, quod curandum, non perdendum erat.

Anno 1638. supplicium uni Cosaccorum crudâ severitate illatum, totam gentem efferavit. Instaurata rebellio, inflatúmque classicum tanto furore, quantus in plures annos etiamnũ sævit.

Si Dux Albanus Gubernator Belgij severitatem clementiâ temperâsset, non fuisset subsecuta illa secessio, quæ fœderatos Hollandorum Ordines peperit, & nobilissimas Belgij Provincias à Monarchia Hispanica abstraxit. Itaque Rectores populorum sæpe revocent in memoriam illud symbolum, quo delectabatur Henricus Auceps Imperator: *Sit Princeps piger ad pœnas, ad præmia velox.* Princeps denique sit instar apis, quæ ubique mella

fundit, aculeum verò non nisi necessitate coacta stringit.



CAPUT L.

Invigilandum esse Principi, ut Civitates, præsertim majores, prudenter gubernentur.

ANtisthenes existimavit eam Civitem esse malè ordinatam & interitui proximam, in qua boni à malis discerni non possunt.

Carolus V. Imperator conjecturam malæ civitatis desumpsisse fertur à mala dispositione & ordinatione horologiorum, templorum & platearum.

Aliorum fuit opinio, luxum vestium & conviviorum esse ægræ Civitatis indicia.

Nonnulli censent eas civitates vituperio dignas esse; in quibus sunt multi Me-

ti Medici & Jurisperiti: addúntque id profligatæ in Republica disciplinæ indubitatum esse argumentum. Atque hanc suam opinionem confirmant constitutione Antonini Pij Imperatoris, jubentis, ut minores civitates tantùm quinque Medicos, Majores septem, Maximæ autem, hoc est, Metropolitanæ urbes, decem habere possint. In Eadem opinione versasatur Guazzus, qui *lib. de Civil. Conversat.* sic scribit: *Malum est indicium & præsagium civitatis, quæ multis Medicis & Judicibus abundat. Alterum enim ex defectu propriæ Virtutis, alterum ex crapula & otio originem trahit.*

Ego verò eam civitatem dixerim esse illaudabilem, quæ bono regimine destituitur. *Magna civitas Magnum malum, si Regimen malum.* Quapropter Principes dent operam, ut civitates, tanquam primaria Reipublicæ membra, singulari prudentiâ gubernentur: gubernabuntur autem, si ijs de idoneis moderatoribus prospe-

ctum fuerit. *Illa civitas est laudabilis, in qua sunt tria bona P. Nimirum bonus* Pastor, *bonus* Prætor, *bonus* Præceptor. *Dictum Caroli V. Imperat.*



CAP. LI.

Quòd Regimen Principis Amoris potiùs, quam Timoris esse debeat.

Metus est *infidus* benevolentiæ *Magister*, & *invitus* obedientiæ *Minister*.

Malè itaque Timore, vel solo, vel prædominante, gubernantur subditi.

Necesse est, ut multos timeat, quem multi timent.

Chi in presenza ti teme, in absenza noce.

Regentibus major ab amore, quàm à timore securitas.

Hujus rei exemplum insigne cerni-

tur

tur in Eberhardo Duce Wirtenbergensi, qui, teste Nauclero, suis subditis, quòd amore potiùs, quàm timore eos regeret, gratissimus fuit, & in hac parte laudis sibi maximè placuit. Cùm enim aliquando interesset solemni conventui Principum Germaniæ; aliis suarum regionum dotes efferentibus, hoc uno se alijs antecellere jactabat, quod in cujusvis subditorum suorum gremio vel in vastissima solitudine somnum tutò capere posset.

Jam sicut bono Principi non sunt timendi subditi, ita è contrario nec bonus Princeps timendus est subditis.

Cùm Alexander M. interrogasset Diogenem Cynicum, an ipsum metueret? respondit Diogenes: *Quid es; bonum an malum?* respondente Alexandro, *Bonum*; dixit Diogenes: *Quis timet bonum*: Atque ita docuit, Regem non esse metuendum, nisi se malum esse profiteretur.



CAPUT LII.

Quòd metus Principi è subditis incussus prudenter dissimulandus sit.

SI Princeps habeat subditos arrogantes, temerarios ac refractarios, caveat ne animi pavescentis signa edat, & ex timore, nimiâ erga pertinaces indulgentiâ utatur. Valido hic fræno opus est. Induenda pellis leonina; exuenda ovina; ne dilaceretur à canibus ut ovis, qui canes coërcere potuisset ut leo.

Inspiciant Principes exemplum Caroli Regis Angliæ, qui ob nimiam flaccescentis animi mollitiem, timiditatem & conniventiam, ab insolescente & arrogante Parlamento contemptus, bello impetitus, captus, & Anno 1649. 30. Januarij, subjectâ securi Cervice Regiâ, trucidatus fuit. Cùm

è con-

è contrario, qui ei in regimine succesſit, Tyrannus Cromwellius, armis & ſeveritate metuendus, per gubernationij rigidioris nervum, dignitatem ſuam uſque ad finem vitæ illæſam conſervaverit: ac reipſa docuerit, rebelles ſubditorum animos non enervi & emaſculatâ, ſed acri ſeveritate in officio continendos eſſe. Nam ſi Princeps (verba ſunt Taciti Politicorum Principis) aut nimiâ lenitate dulcis, ſe & læſam Majeſtatem negligit, aut ſalutarem ſeveritatem inani clementiæ ſpecie remittit ac humilem ſe exhibet, meritò contemnitur, cùm ſeipſum priùs contemſerit. Veriſſimum eſt illud Senecæ: *Authoritatem tolle, & omnis Imperij contextus in partes multas diſſiliet.*

Non eſt itaque prudentis Principis, edere ſigna timoris, à Proceribus aliiſve ſubditis incuſſi.

Prudentes Principes dum maximè timent, timorem maximè diſſimulant.

Quin potiùs illis debet eſſe timen-

dus Princeps, qui à Principe timeri cupiunt. Nolunt enim generosi Principes terrore ac minis vinci, inquit Tacitus, *Annal.* 29. Plerumque sibi ipsis exitium machinantur, quicunque suis Heris terrori esse cupiunt; præsertim si res ita comparata sit, ut minæ, quæ intentantur, & terrores, qui incutiuntur, destruere fortunam Principis, & convellere securitatem publicam videantur.

Talis fuit illa Comitis S. Pauli Conestabilis Galliæ væsania, quâ ipse Regis odium, & postremò sibi exitium accersivit. Describit eam Cominæus 3, *Comment.* 11. & 12.

Idem Henrico Guisio accidit; quem non antè Henricus III. Rex Galliæ metuere desiit, quàm jussu suo cæsum in Comitiis Blesensibus viderit. *Thuanus.*

Nicolaus Piccinius, cùm meritorum suorum confidentiâ, à Philippo Vicecomite Placentiam laborum præmium peteret: additis minis, abiturum

rum se à servitio, nisi votis annueret; maluit Vice-Comes cum Francisco Sfortia genero suo (tum hoste) in gratiam redire, quàm amico tam arroganti morem gerere.

Gaspar Colignius, factionis suæ nomine Francisco II. Regi Galliæ libellum supplicem obtulit, à nemine subscriptum; publicè protestatus, à centum quinquaginta millibus hominum, ubi opus fuerit subscriptione manus propriæ signatum iri. Quæ jactabunda insolentia non modò Regi, ac Regni Moderatoribus Guisiis metum nullum incutere visa est; sed indignationem potiùs auxit: quæ deinde Carolo Fratre Gallis imperante, in exitium Cædemq; Colignij erupit.

Plura ejusmodi tragica exempla suppeditat Gallia, quæ Thuanus, Gramondus aliique Gallicanæ Historiæ scriptores commemorant.

Inter recentiora est illud Bironij, qui, quia Henrico IV. Regi Galliarum clam metum injicere conatus fuit,

temeritatem hanc supplicio capitali expiavit.



CAP. LIII.

Princeps sit eximius cultor Justitiæ.

FElicitatem esse genuinam Justitiæ sobolem, hoc ingenioso dictamine declaravit Numenius Stoicus: *Rex est opus Dei, lex est opus Regis, Justitia est opus legis, felicitas est opus Justitiæ.*


E contrario propter injustitias (inquit Gregor. Tholosanus *lib.* 10. *de Repub. cap.* 2.) transferuntur regna de gente in gentem, Regiæ Domus & clarissimæ Familiæ extinguuntur, & sæpe populus unâ cum suo Principe corruit. Idipsum confirmans Sophocles ait: *Ubi injuriæ prævalent, & quisque quod libet facit, eam urbem existima mox præcipitem ruituram.*

Ita-

Itaque Reges & Principes ab omni ſpecie injuſtitiæ, tanquam à certa dignitatis ſuæ pernicie abſtineant; ſibique perſuadeant, lancem Juſtitiæ nec amore, nec odio, ſed ſolâ æquitatis trutinâ librandam eſſe.

Ad hanc trutinam reſpexerunt olim Judices Curiæ Parienſis: qui, cùm Ludovicus XI. Francorum Rex iniqua nonnulla edicta promulgari juſſiſſet, conſtanter voluntati Regiæ obſtiterunt: ſpretis minis & periculo capitis, quod, niſi Regi parerent, imminebat: Etenim Lancaſtrius Curiæ Præſes, purpuratorum Judicum coronâ ſtipatus, Regem adiit, non ut culpam deprecaretur, ſed ut mortem pateretur; cùm diceret, ſe ſuóſque Collegas mortem malle, quàm legis promulgationem pati. Quâ inſigni conſtantiâ ac fortitudine perterritus Rex, legem abrogari, ac reſcriptum lacerari juſſit: pollicitus, ſe nulla deinceps edicta laturum, quæ Curia improbaret. *Ex Bodino.*

Major justitiæ cura eluxit in S. Ludovico Rege Galliæ: qui, ut ab omni non modo injustitia, sed etiam periculo injustitiæ quàm longissimè recederet, inter alia multa sanctissima præcepta, etiam hoc filio suo dedit, ut in causis dubiis, ipsum & subditos concernentibus, semper contra se pronuntiaret.



CAPUT LIV.

Princeps sit Vindex scelerum.

VÆ Reipublicæ, in cujus viscera scelerum impunitas, per damnabilem Principis conniventiam, irrepsit.

Malum est, habere Principem, sub quo nihil ulli liceat: pejus, habere eum, sub quo omnibus omnia liceant.

Ruinam Regni mox interituri quatuor hæc signa prognostica, politicorum judicio, præcedere solent: Immanis luxus & luxuria, Religionis muta-

tio,

rio, factiones & dissidia inter optimates, scelerum licentia atque impunitas.

Non censeo felicem Rempublicam stantibus mœnibus, ruentibus moribus. Dictum Scipionis.

CAPUT LV.

Accusatores ac delatores à Principe coërcendos esse.

SÆpe Principes, dum accusatores nimiùm *fovent*, iniquitati nimiùm *favent*.

Multi enim aut cupiditate Vindictæ, aut spe privati commodi ad accusandum impelluntur.

In captura halecum, bellua quædam marina, à nautis *Hille*, ab Olao Magno *Helius* nuncupata, cùm invitissima conspiciat haleces retibus implicatas, quasi malleo ferit navim piscatoriam, monitura nautas, ut elevent retia jam satis repleta, quò fiat ipsa illarum halecum particeps, quæ nautarum ma-

nus:

nus effugerint. *Nicolaus Tulpius in quadam Epistola ad amicum.*

Ita quidam iniqui accusatores deferunt alios ad tribunalia Principum, monéntque ac suadent, ut eos in jus vocent, carceri mancipent, sententiâ judiciali plectant; non quidem amore justitiæ, aut boni communis, *verùm ut captorum spoliis ditentur opimis.*

Itaque Principes non præbeant faciles aures accusatoribus, nisi claris solidísque probationibus instructi fuerint.

Melior est excusatio, quàm accusatio, ubi deest probatio.

Cephidus accusator acerrimus, apud Julianum Imperatorem accusabat Numerium furti. Cùm autem objecta probatione destituta negarentur, accusator irâ percitus exclamavit: Ecquis nocens poterit esse unquam, si negare sufficiat? Cui Julianus, bellissimè dictum retorquens: Ecquis, inquit, innocens poterit esse unquam, si accusare sufficiat?

Marcus Cato notissimæ vir integritatis, à Populo Romano *Prudens* appellatus, maximis Romanorum odiis exercitus est. Nam quadragies sexies accusatus, velut reus causam dixit, semperque absolutus est.

Aristophanes Atheniensis, teste Æschine, malevolorum odio quinquies & nonagies vocatus fuit in judicium, sed semper abivit victor.



CAPUT LVI.

Adulatores ex Aulis Principum proscribendos esse.

ADulatio est meretrix Aulica, cujus blanditiis sæpius, quàm hostium violentiâ opes Principum eversæ fuerunt.

Adulatores enim non utilitatem Principis, sed proprium commodum, cum incommodo Principis conjunctum, quærunt.

Adulationis principium est prava cu-

pidi-

pidilas, medium inanis laudatio, finis proprium commodum.

Nam ad hunc ſcopum tot byſſina adulatorum verba collimant.

Adulationis unctio *eſt donorum* emunctio.

Adulatoris laus *eſt ſpecioſa* fraus. *Laudat adulator, ſed non eſt verus amator.*

Quia non te, ſed tua quærit.

Move la coda il cane, *non per te, mà per il* pane.

Nocentiſſimam iſtam, & ex ipſis tartari faucibus in exitium Principum emiſſam peſtem agnoſcens Sereniſſimus Albertus Dux Bavariæ, Sereniſſimi Electoris Ferdinandi hodie Boicam Regentis Abavus, inter alias præceptiones & futurorum conſiliorum actionúmque Regulas, ab Erneſto filio, poſtea Electore Colonienſi, tunc verò ſtudiorum causâ Romæ degente ſervandas, hanc etiam hiſce verbis præſcripſit: Mandamus, inquit, ut nullus ad colloquium filii noſtri admittatur ex iis homini-

minibus, qui suis alloquiis, suggestione, aut alio quovis modo tenerum animum inficere atque corrumpere possent. Inter quos primo loco sunt perniciosissimi adulatores, qui tamquam præsens venenum fundentes, cane pejùs & angue sunt vitandi. *Hæc Serenissimus Albertus.*

Unde censent sanioris mentis Politici, hoc pessimum genus hominum in Republica nequaquam tolerari debere.

Tria hominum genera è Republica expelli debent (inquiebat Socrates.) *Adulator in palatio, pulchra Meretrix in prostibulo, cupidus sacerdos in templo, falsus Judex in tribunali, fraudulentus Mercator in foro.*



CA-

loquitur) *quies in seditionibus; in pace turbæ sunt.* Siquidem isti, *honores, quos quietâ Republicâ desperant, perturbatâ consequi se posse arbitrantur.* Cicer. 2. in Catilin. Quintò homines pecuniarum cupidi. Unde Carolus V. Imperator (si fides habenda sit Thuano *lib. 13. histor.*) Ferdinandum Gonzagam, quòd in avaritiæ suspicionem venisset, Imperij Mediolanensis administratione submovit; & insuper auctor Philippo filio fuit, ut co consultore in magnis negotiis uteretur: sibi enim ipsius prudentiam, & in consiliis dandis sagacitatem abundè perspectam esse; cæterùm ne ei provinciam ullam administrandam, aut munus aliquod committeret.

Itaque si hujus farinæ homines, avaritiâ quandoque, vel ambitione, aut alio affectu pravo in transversum acti, conspirationem adversùs Principem inierint, aut seditionem concitaverint; ad officium Principis pertinebit, exclusâ omni morâ antequam flam-

flamma sub doloso cinere gliscens, in plenum erumpat incendium, convenientibus remediis malo occurrere. Neque spernenda principia, quòd vel leviora, vel adhuc remota appareant. *Primis eventibus aut metum, aut fiduciam gignunt*, ut loquitur Tacitus; at sensim ita crescunt, ut eis postea nulla vi resisti possit. Seriùs Romani opponere se Cæsari voluerunt, cùm jam armis leges evertisset. *Festinandum itaque, antequam crescat invalida adhuc conjuratio paucorum.* Tacitus lib. 1. hist. Est quidem efficax remedium, prima rebellantium Capita in diversas factionum partes distrahere; sed majoris prudentiæ est damna prævertere, quàm iis postea afferre remedium.

* * *

* *

CA-

CAPUT LVIII.

Benigna meritorum remuneratio non negligenda Principi.

Respublica duobus pedibus consistit, *præmio & pœna:* alterutro deficiente claudicat. Procliviorem decet esse Principem ad meritorum præmia, quàm ad demeritorum supplicia. Obsequia præmio languescunt negato, vigescunt collato. Nam sub ingrato Principe nihil magnum geritur, nec ulla heroica facinora patrantur. Princeps ut plurimùm non colitur ac suspicitur, quia Princeps est, sed quia præstita sibi obsequia remuneratur, & præmia tribuit, magna magnis, minoribus minora: uti Philippus III. Rex Hispaniæ, Duci de Lerma reditus annuos 72. millium aureorum, ob nuptias in Philippi IV. sororem & Ludovicum XIII. Galliarum

rum Regem procuratas, donavit. Guterius de Cardenas, quòd nuptias Catholici Regis Ferdinandi cum Isabella conciliasset, urbes duas cum dominiis vicinis præmii loco accepit.

Quòd si Princeps remunerationem debitam negligat, negligentiæ hujusmodi in ipsius Principis ac Reipublicæ detrimentum redundat.

Cùm Martinus Schenckius, celebris in Exercitu Hispanico contra Batavos militante Capitaneus, sæpe rem præclarè contra hostē gessisset, præsertim in prælio Herdenbergensi, in occupatione Bredæ, Noviomagi &c. & nulla meritorum præmia reportasset; ab Hispanis se contemptum ratus, ad Hollandos defecit; quibus militans, ingentia Hispanis damna intulit.

Solymannus Turcarum Imperator dicere solebat, Principem uno Ministro non nisi semel uti debere. Nam fides Ministri (ajebat ipse) eò usque syncera est, quò Domini gratiam affe-

assecutus fuerit: hac obtentâ non ampliùs bono Principis, sed Proprijs commodis studet.

Fatendum tamen est, hujus infidelitatis causam nonnunquam ab ipsis Principibus ortum ducere, quorum ingratitudo efficit, ut Ministri negotia eò flectant, unde sibi meritorum præmiatrix utilitas promanare possit. Cùm enim Principes non nisi dum pluit, penulâ uti velint: & focum, quo se hybernis mensibus fovebant, æstate redeunte negligant; hoc est, cùm non ultra limites propriæ indigentiæ & utilitatis Ministrorum operâ uti velint: Illi quoque demandata sibi negotia ita nonnunquam gerunt, ut Dominus eorum operâ nunquam carere possit; aut sicut piscator cùm se satis opulentum cernit, damnat ingratum laborem, retia rumpit, scapham comburit; ita qui in aulis rem fecerunt, malunt ad otium secedere, fruíque partis, quàm sterilibus imposterum

officijs Principum ſuam operam impendere.

CAPUT LIX.

Moderatum Potentiæ deſiderium permittitur Principi.

MIrandum eſt Principes quosdam, tametſi florentiſſimorum regnorum Domini ſint, ijs tamen minimè contentos, ſemper nova belli agitare conſilia, ſemper quietem ſuam & alienam turbare, ſemper de mittendis ſub jugum nationibus exteris cogitare: cùm non ignorent, Imperia in extraneos exercita, aut minimè diuturna aut certè ingentibus impenſis periculiſque obnoxia eſſe. *Alienigenam dominum nemo patitur lubens.*

Perfectò Hiſpaniarum Rex, Italicarum Provinciarum dominium, non niſi plurimâ arte Politica, immenſâ pecuniæ vi, & perpetuis militum, caſtel-

castellorúmque præsidiis conservat. Neque tamen efficere potest, quò minùs jam à Gallis, indefessis Hispanicæ potentiæ æmulis: jam ab ipsis Italiæ Principibus, vel apertâ vi, vel arcanis artibus lacessatur.

Omnium tutissima sunt mediocria, omniúmque decrescunt minimè, quæ crescunt minimè.

Exemplum cernis in Helvetiorum Republica: quæ tam expers ambitionis, quàm amans libertatis, tuendorum potiùs, quàm promovendorum finium cupida, non tam suis montibus, quàm Votorum modo circumsepta, alienã hactenus ambitionem fregit, dum suam compressit.

Potentia non semper intenditur, dum extenditur.

Legent hoc fortè, sed non credent, nonnulli Principes, quorum omnes curæ in eo versantur, ut villas villis, oppidis oppida, Urbes Urbibus, Provincijs Provincias, ad cumulum inanis, & brevi exspiraturæ felicitatis, adjiciant. K 2 Per-

Perpendant hi ambitiosi Principes: Monarchiam, quam tot votis ardentibus expedunt, nihil esse aliud teste & judice Sapientissimo Principe Maximiliano Electore Bavariæ, quàm tria Suspiria: *Obtinendi, amittendi, retinendi.* Et, quid obsecro *Suspirijs* est levius? imò quid gravius? Sub gravissimo Monarchiæ onere *suspirant* Reges & Principes, & nihilominus ad majora *aspirant.*

Suspirant Reges sub adepti pondere honoris, & tamen exoptant Majus honoris onus. Et quia semper ad majora *aspirant*, ideo semper *suspirant*, & nunquam *respirant.*

Porrò tria sunt, quæ hoc onus Monarchiæ maximè aggravant, quia illud maximè exosum reddunt. 1. Ingenita omnibus cupido libertatis. 2. Ipsa Monarchiæ potentia, cui facilè invident alij. 3. Monarcharum partim experta, partim formidata insolentia in subditos, vicinos, &c.

Ex lib. 3. Herodoti, in oratione Ottanis contra Monarchiam.

Circumſcribant igitur Reges & Principes ambitionem ſuam mediocris potentiæ cancellis, malintque de Imperio Viribus *Artis* conſervando, quàm ſpiculis *Martis* amplificando, cogitationem ſuſcipere.



CAPUT LX.

Regimen Activum, non excluſo Paſſivo, decet Principem.

Tutiſſimum eſt regimen activum, non excluſo paſſivo, optiméque regit activè, qui ſimul etiam regitur paſſivè. E contrario ut imprudenter, ſic infeliciter regunt illi Principes, qui à ſuo regimine activo ſecludunt paſſivum; eò quòd Monarchico imbuti ſpiritu, ita ſoli regnare cupiant ut nullis, præterquam proprij conſilij ductu utantur.

Talis fuit Hieron Siciliæ Rex, quem non aliam ob causam interfesectum fuisse ajunt, nisi quòd rectè monentiū consilia contemneret, Senatus authoritatem pessumdaret, leges, quas vellet, pro sua libidine violaret.

Eodem errore peccavit Julius Cæsar, qui non modò in Consulatu, sed etiam in Dictatura nunquam Senatûs consilio usus fuit. At meminisse debuerat, Tarquinium Regem Romanorum ejectum fuisse, quòd spretâ Senatûs auctoritate, suo arbitratu omnia gesserit.

Impegit denique etiam in hunc scopulum Ludovicus XI. Gallorum Rex, qui nulla de re Senatum consulebat. Sed tandem damno suo resipiscens Carolum filium ita institui voluit, ut literas ipse non addisceret præter hanc unicam sententiam: *Qui nescit dissimulare, nescit regnare*; atque ita necessitate adactus, alienis potiùs consilijs, quàm suis sapere.

pere, atque negotia gerere consuesceret.

Non multum sapiunt, qui à se ipsis Consilium capiunt.

Chi solo si consiglia, solo si pente.

Rectè Siracides monet Ecclesiast. 32. *Fili sine consilio nihil facias, & post factum non pœnitebis.* Et sapientissimus Salomon Proverb. 3. *Ne sis sapiens apud temetipsum.* Cæcutimus enim circa propria placita, & (ut Curtius lib. 7. ait) *in suo quisque negotio hebetior est quàm in alieno: turbita enim sunt consilia eorum, qui sibi suadent.*

Appositissimè ad rem præsentem loquens D. Chrysostom. homil. 9. de laud. D. Pauli: *Licet*, inquit, *mirum in modum sapiens sis, & prospicias ea quæ oportet, attamen homo es & Consiliario tibi opus est: & nonnunquam evenit, ut sapiens non videat quod oportet, & minor, & hebetior clarè & cautè ea prospiciat. Sapiens ille Moyses, qui tanta miracula operatus est, non animadvertit rem, quam mortalium*

 pleri-

plerique considerant: socer autem ejus, homo barbarus & obscurus statim animadvertit. Itaque Consiliariis omnes opus habent, etiamsi Moysi conferri possint. Multa enim sunt, quæ magni & admirabiles viri ignorant, quæ tamen parvi & abjecti scire solent.

Itaq; Consiliorum & Consiliariorum necessitas negari non potest.

Aberrat operatio, cui viam non monstrat ratio.

Un buon consiglio val più che cento mani.

Sed ne in discernendis bonis consilijs & Consiliarijs ab ineptis halucinemur, regulæ aliquot sunt necessariæ.

Prima. Consilium non debet esse generis feminini.

Quid turpius quàm sedisse olim feminam in Senatu Romano?

Le Donne hanno vesti lunghe, è corto intelletto.

Secunda. Sicuti vina vetula & edentula magis conducunt corpori phy-

physico, quàm horna: ita consilia Senilia plus prosunt corpori Politico, quàm Juvenilia.

Senex vinum, sanum vinum: Senex vir, sanum consilium.

Tertia. Illud est optimum consilium, cujus inventor non differt ab executore.

Nemo melius consilium dat, quàm qui ipse facturus est. Livius.

Quarta. Consilia sint multa, sed non multorum.

Multorum manus, paucorum consilium. Symbolum Ludov. IV. Imper.

Quid fieri debeat, tractato cum multis: Quid verò facturus sis, cum paucissimis & fidelissimis vel potiùs ipse tecum. Vegetius.

Quinta. Maturum est consilium, cui assederint timor & cunctatio.

In consiliis sis testudo, in factis aquila.

Præcipitis consilij assecla est pœnitentia.

Sexta. Ubi est multa consideratio, ibi est optima consultatio.

Omne opus trinâ consideratione de-

bet praveniri: *an* liceat, deceat, expediat.

Septima. Bonum consilium facit bona *scientia*, & bona *conscientia*.

Illi sunt boni Consiliarij, qui non plus habent ad suadendum *scientiæ*, quàm ad bene suadendum *conscientiæ*.

Octava. Consilia tam diu tuta, quam diu tecta.

Nulla consilia meliora sunt, quàm quæ ignoravit adversarius antequam facias. Vegetius.

In Insulis Balearibus hæc olim consuetudo recepta fuit, ut quoties de arcano aliquo vellent deliberare Senatores, in campum exirent, ibique foveam effoderent; versùs quàm inclinabant ora, & vota invicem consiliáque communicabant: finitâ verò consultatione, foveam illam terrâ replebant, atque reliquo campo complanabant. Innuebant nimirum, consilia sub silentio sepelienda esse.

Nona.

Nona. Perinde noxium est consilio malo acquiescere, & bono non acquiescere.

Veritatem hujus dictaminis grandi malo suo experti sunt duo Almeidæ, Lusitani Heroes, Franciscus & Laurentius: ille Pater, hic Filius.

Franciscus Indiæ Prætor, rerum gestarum gloriâ clarissimus, domum revocatus à Rege Lusitaniæ, cùm à Promontorio Bonæ spei non procul abesset, aquationem facere constituit. Quidam è Lusitanis in oppidum, quod inde quatuor millibus passuum aberat, concessit. Hi hominem bene exceptum dimiserunt, & ingenti ariete in amicitiæ signum donârunt. Almeida illum cum alijs duodecim socijs in oppidum remisit, ut oves & boves coëmerent. Incolæ eos ad epulas invitarunt,& muneribus, quæ telus illa profert, affectos, cum gregibus, quos emerant, dimiserunt. In via factus est illis obviam homo quidam cum arietibus,

ut eos cum muneribus commutaret. Hic quidam ex Lusitanis: hunc, inquit, per vim abducamus ad Almeidam, ut cùm vestibus excultus ad suos redierit, eos nobis, arctiore familiaritate conglutinet. Is cùm impeteretur, clamorem ingentem sustulit. Oppidani festinanter occurrunt, hominem è Lusitanorum manibus extorquent, eos saxis & lapidibus malè mulctant, & gregibus etiam spoliant. Hi reversi, ne id eis fraudi esse posset, rem longè aliter atque acciderat, Almeidæ retulerunt, eóque rem suis perversis suasionibus deduxerunt, ut Almeida malo suorum consilio obtemperans, cum eâ gente bellum suscipiendum decerneret. Itaque mediâ nocte, cum centum militibus egressus, in oppidum ante lucem pervenit. Oppidani continuò opem sublatis clamoribus implorant. Accurrunt undique permulti cum saccis è corio crudo confectis, in quibus vim

vim lapidum congesserant; ut Lusitanos, qui jam cum præda redibant, opprimerent. Gestabant præterea jacula innumerabilia, non longa, quibus erant cuspides hamatæ trium palmorum longitudine præfixæ. Cúmq; essent summâ celeritate præditi, facillimè poterant conjectis saxis & jaculis cursu sese proripere, & rursus eâdem celeritate in Lusitanos incursare: quos æstus adurebat, lassitudo conficiebat, ita ut vix plantas in arena altissimâ altiùs impressas evelleret. Almeida jaculo guttur transfixus procubuit, genibus in terram flexis, & oculis sublatis manus in cælum tendens: Vir probitate & liberalitate, rebúsq; gestis immortalitate dignis admirandus. Mirandum sanè ac deplorandum est, talem ac tantum virum, cujus in bello Granatensi tam clara virtus extiterat, qui maximos in India exercitus fuderat, qui Imperatoris Ægypti opes fregerat, qui multis

Regibus frœnũ injecerat, temerario suasu & ausu suorum inductum, à paucis hominibus, nudis & inermibus, non procul à belluarum feritate distantibus, occisum, & eorum pedibus conculcatum esse: Quinque & sexaginta Lusitani in ea pugna interfecti sunt: in quibus erant Duces undecim, qui maximis in rebus suam probaverant strenuitatem. Creditum est, illos, quòd se insolentiùs in prosperis successibus extulissent, & victoriâ nimis crudeliter usi fuissent, eas pœnas divino judicio pertulisse. *Osorius lib. 6. rerum Emmanuelis.*

Laurentius Francisci Filius, consilij boni non acceptati, uti Pater mali acceptati pœnas dedit. Is multis victorijs clarissimus, tandem in portu Chaulensi contra classem Campsoris Præfecti Ægyptij, pugnans, sagittâ confixus fuit. Qui illi aderant, cùm hortarentur, ut, quando æstus adversus esset, & ideò

ideò minimè posset in hostium naves invehi, regrederetur. Quòd consilium ille juvenili audaciâ motûs, accipere nolens, aliâ rursus sagittâ vulneratus, à prælio tamen non destitit, donec quinque hostium triremes cepit, reliquas fugavit Navarchi, cùm illum viderent saucium, magnâque militum partem vulneribus impeditam, cum hortabantur, ne cum hostium prostrata nave congrederetur; sed eam, & alias tormentis eminus usque eò verberaret, dum omnes deprimeret. Id consilium Laurentius aspernatus est; cùm diceret, naves hostiles esse magnas, & omnibus rebus instructas, adeóque melius esse eas omnes capi, quàm demergi. Sequenti die cùm hostium classis se collegisset, Lusitani post mediam noctem clam vela faciunt. Hostes insequuntur, prætoriamq; navem, quæ agmen cogebat, emissis telis remorantur, eámque unâ multæ circumveniunt. Quæ tormētī

majoris

majoris globo perforata, aquæ magnam vim intra ſentinam admiſit: cujus pondere gravata, clavo dirigi nequaquam poterat. Fuit Laurentius à ſuis admonitus, ut in paronem ad eam rem paratum deſiliret, quò poſſet ad ſuos confugere. Quo ſalubri conſilio graviter ille offenſus, minimè ſibi decorum fore dixit id periculum devitare, in quo commilitones ſuos deſereret. Erant tunc in navi ſeptuaginta homines vulnerati, & triginta tantùm ſani. Hoſtes, cùm cernerent, quàm acri animo Luſitani ſe ad reſiſtendum pararent, eminus tantùm rem gerebant: crebris tormentorum ictibus omnia perſonantibus. Laurentius hortator & ſpectator aderat, & omnibus rebus occurrebat, optimíque Imperatoris officio fungebatur. Tandem cùm femur illius pilæ ictu dilaceratum eſſet, ſe in ſellâ ad navis malum collocari præcepit, & inde animo maximo imperans, ſuos hortabatur,

batur, ut virtutem factis egregijs ostenderent. Hæc maximis vocibus admonentem alia pila in pectus emissa interemit. *Osorius lib. 5. rerum Emmanuel.*

******:*******

CAPUT LXI.

Regimen Passivum, non excluso Activo, suadetur Principi.

EOrum Principum regimen est passivum, non excluso activo, qui reguntur & regunt: Eorum verò *Passivum, excluso Activo*, qui Reginiinis aut ignari, aut pertæsi, non regunt ipsi alios, sed reguntur ab alijs, atque omnia per vicarios gerunt: ac proinde in vicarijs tantùm & ministris inclarescunt, ac ditescunt.

Velle omnia facere manibus alienis, curare curis alienis, audire auribus alienis, ignavi, & rempublicam perdituri Principis indicium est.

Mi-

Miserrimum est Regnum, ubi hæ Principis voces audiuntur: *Videte, ut rectè omnia curentur: Facite prout vobis melius videbitur: Hæc Vestra curæ commissa sunt.*

Hujusmodi Principes non sunt absimiles cuidam Prælato, omnia per Vicarios facienti, in quem nonnemo sic lusit.


Ad noctis horas per Vicarium surgis, Horas diurnas per Vicarium cantas, Animas tuorum per Vicarium pascis, Animas vinclis per Vicarium solvis, Convexa cæli per Vicarium vises.

Optimè *regit* ille Princeps, qui & *regit* & *regitur*: *regit* Imperio, *regitur* Consilio.

Regere, & non *regi*, præsumptionis: *regi* & non *regere*, infirimtatis: *regere* pariter & *regi*, perfectæ virtutis est.

Hæc duo proinde cordatus & magnanimus Princeps ita conjungat, ut alterum ab altero nocituro divortio sejungi non patiatur.

Qua in re præclarè se gessit Stephanus Batorius Rex Poloniæ. Qui cùm à suis contemptui haberetur, talibus capistris frœnari insolens, quâ erat animi fortitudine, generosè denunciavit sceptri reverentiam fastidientibus, liberum se hominem natum; nec victûs, nec amictûs, antequam in Poloniam veniret, indigum, ab ipsis vocatum, invitatum, rogatum venisse, atq; ab eorum manibus coronam capiti suo impositam; jam igitur non pictum nec fictum, sed verum Poloniæ Regem se esse, qui regnare & possit & velit, quíque ipsos imperandi Præceptores pati nolit.



CA-

CAPUT LXII.

Ministri prioris Principis prudenter retinentur à Successore.

SI prioris Principis Consiliarij & Ministri sint viri prudentia, fide, morúmque integritate spectabiles, imprudenter à novo Principe amoventur: propterea quòd illi rebus gerendis jam exerciti, & prioris gubernationis magis gnari sint, quàm qui noviter officijs admoventur. *Ne derelinquas amicum antiquum; novus enim non erit similis illi.* Ecclesiast. 19.

Ludovicus XI. Rex Galliæ, quòd relictis sibi à Patre Consiliarijs minùs credidisset, eorúmque salutaribus monitis atque consilijs non obtemperasset, in eas redactus fuit angustias, ut proximè abfuerit à pernicie, & Coronæ Regiæ amissione: exorto eam ob causam atroci bello,

quod

quod *Commune bonum* appellabatur. Unde Ludovicus ſuomet periculo ſapere doctus, ante mortem Carolum filium à mutatione veterum Conſiliariorum gravi oratione dehortatus eſt.

CAPUT LXIII.

Ineptos Conſiliarios & perverſos Judices à Principe removendos eſſe.

Cum ſatius ſit non admovere officijs peccaturos, quàm ubi pecaverint, amovere; ad prudentiam Principis pertinebit, ante electionem Officialium (præſertim Conſiliariorum) accuratâ mentis indagine, maturóque judicio, aptos ab ineptis ſecernere.

Porrò inter ineptos Conſiliarios meritò inprimis numerantur illi, qui ſibi ipſis malè conſulunt. Nam qui rebus proprijs malè proſpexerit, nun-

nunquam ille benè consuluerit alienis.

Deinde à munere Consiliarij Politicorum quorundam judicio (recto, an pravo?) rejiciuntur extranei, ob 4. causas. 1. quia tales solent turbare statum reipublicæ. 2. Quia raro ipsi morum & ingeniorum totiúsque Reipublicæ periti sunt. 3. Quia, ut non desit ipsis peritia, sæpè tamen deest affectus & fides: & plerúmque ad commodum suum, aut arbitrium Principis videbis pleráq; ab ijs referri. 4. Quia usu compertum est, consilia externa ferè esse infausta. Ita sentiunt illi, sed ideò minùs prudenter, quòd acerbitatem sententiæ suæ nullis mitigent exceptionibus.

Tertia classis eorum est, quorum intentio cùm pravitate aliquâ infecta sit, tantò tamen artificio eam contegunt, ut vix ab oculatissimis Principibus satis perspici possit. Et sanè non levium inRepublica malorum

lorum fons est, quòd Principes in Concilijs non satis attendant,& perpendant, ad quam metam singulorum consiliariorum vota & suffragia colliment. Sæpè enim illi in consultationibus non publicum (quod Princeps intendit, & æquitas suadet) sed privatum quærunt commodum.

Misera est illius Principis conditio, qui judicio proprio destitutus, consiliariorum in diversa tendentium dissentientibus consilijs distractus, neque fidem cujusque, neque occultos fines, favore, odio, ambitione, avaritiâ corruptos, discernere atque intelligere potest. Hanc bonorum consiliorum pestem, nec cautissimi Principes unquã satis coercuêre.

Exemplis res innotescet. Ludovico XI. Galliæ Regi bellum contra Carolum Burgundiæ Ducem suadebat Comes S. Pauli, speciosis sanè argumentis,sed consultori, quàm Regi utilioribus. Nam minorem in pace aucto-

auctoritatem, in bello summam Comes potentiam, quadringentorum equitum cataphractorum stipendium, & triginta millia Francorum in pensionem annuam habiturus erat.

Post pugnam ad Tarum in Italia commissam, in Concilio Caroli Regis Galliæ quærebatur, pax an bellum placeret? Et quanquam omnia Gallis adversa pacem suaderent, Trivultius tamen & Ferrariæ Dux bellum præferebant: Ille odio in Ludovicum Sfortiam: Hic spe recuperandi, quæ à Venetis sibi erepta querebatur, impulsus.

Georgius Cardinalis Ambosius Ludovici XII. Regis Galliæ arma, in perniciem Alexandri VI. Pontificis & Cæsaris Borgiæ parata, suis consilijs divertit: privato beneficio sibi Papam obligaturus, & per famam defensi patrocinio suo status Ecclesiastici, ad Pontificiam dignitatem sibi paraturus aditū. *Guicciard. l. 5. hist.*

Inter

Inter Belgicorum motuum initia, cùm in Aula Hiſpanica de modo reducendi Batavos, qui à Rege Hiſpaniæ deſciverant, præſente Rege diſceptaretur: Proceres in duas oppoſitas ſententias diſtrahebantur. Rodericus Dux Feriæ & Bernardus Freneda pacem: Dux Albanus & Cardinalis Granvellanus bellum ſuadebant. At omnes eò collimabant, ut ſuam quisque potentiam, excluſo æmulo, conſervaret. Nimirum Ducis de Feria, hominis in Aula dominantis, conſilium erat pacificum; ne, ſi pax bello turbata eſſet, negotiorum arbitria eſſent penes alium rerum bellicarum peritum, & ſua ipſi potentia, quæ pace duntaxat nitebatur, aut penitus periret, aut certè plurimùm minueretur, Similia Freneda, artes aulicas edoctus. & miti vir ingenio cogitabat. At verò Dux Albanus arma ſpirabat, vehementi vir ingenio, & qui ſibi ſummum armorum imperium committendum certò noverat.

 Ha-

Hactenus de ineptis Consiliariis. Quod attinet ad perversos Judices, omnino Reipublicæ interest, eos aut tribunalibus nunquàm admoveri, aut admotos quamprimum removeri. Etenim corruptâ per corruptos & corruptores Judices in aliquo Regno Justitiâ, omnem pariter in eo felicitatem corrumpi necesse est. Cùm enim Justitia sit Regnorum Imperiorúmq; basis: hac per fraudes nequitiásque perversorum Judicum corruente, quo obsecro fulcro impulsa in ruinam Respublicæ prosperitas sustinebitur?

Perversi autem sunt Judices, qui cùm habeant centum manus ad capienda munera, unicam tantùm habent aurem ad audiendum.

Qui statuit aliquid parte inauditâ alterâ, æquum licet statuerit, æquus tamen non est.

Perversi Judices sunt, qui festinatis præcipitatísque sententiis de morte vitáque hominis decernunt. Contra quos Cæsar dictator ajebat, de vita & spi-

& ſpiritu hominis, qui divinitatis pars eſt, laturum ſententiam, diu multúmque cunctari debere; nec præcipiti ſtudio, cùm factum ſit irrevocabile, agitari.

Nunquam tardum exiſtimari debet, quod eſt omnium ultimum.


Laudandus Mauritius Imperator, qui tardiſſimus erat ad irrogandam capitis pœnam; quòd delicta pœnitentiâ, quàm ſupplicio ſanari melius putaret.

Perverſi Judices cenſentur, qui vel Actori, vel Reo plus favent, quàm æquitas cauſæ permittat.

Actori in principio litis, Reo in fine, utrique in medio favetur.

Perverſi denique Judices ſunt, qui dum ſe ab amore æqui bóníque avertunt, juſtitiam pervertunt. Hi audiant (& contremiſcant) illam *Sapientiæ* 6. comminatoriam allocutionem: *Audite Reges & intelligite: diſcite Iudices finium terræ. Præbete aures vos qui continetis multitudines, & placetis*

cetis vobis in turbis nationum; quoniam data est à Domino potestas vobis, & virtus ab altissimo, qui interrogabit opera vestra & cogitationes scrutabitur; quoniam cùm essetis Ministri Regni illius, non rectè judicastis, nec custoditis legem Justitiæ, neque secundùm voluntatem Dei ambulatis. Horrendè & citò apparebit vobis, quoniam judicium durissimum in his, qui præsunt, fiet. Exiguo enim conceditur misericordia; potentes autem potenter tormenta patientur.



CAPUT LXIV.

Rationabile esse, ut Princeps majorem indigenarum, quàm exterorum in distributione honorum & Officiorum rationem habeat.

TAmetsi spiritus nationalitatis, utpote laudans vel vituperans nationem, & non propter rationem, in viro Principe nequaquam laudandus sit

ſit (cùm boni viri, uti & boni vini, non ſit inquirenda origo: & ſereniſſimæ Chriſtianæ Reginæ Sueciæ judicio, duæ tantùm ſint nationes in mundo: una proborum, altera improborum) prudenter tamen cenſent politici, extraneos, cùm de promotione ad honores & officia agitur, indigenis à Principe nequaquam eſſe præferendos. Nihil enim eſſe poteſt hac ataxiâ potentius ad invidiam, civiumque indignationem, atque pericula ſeditionum: ut ſuperiore ſæculo accidit in Regno Caſtellæ imperante Carolo V. qui externos, poſthabitis indigenis, illi Regno præfecerat. Exiſtimant enim Subditi ſibi injuriam irrogari, ſi ab exteris mandata accipiant, aut inter eos præcipuæ dignitates diſtribuantur. Quid enim iſtud eſt aliud, quàm palàm oſtendere, deeſſe in regno proprio viros ad officia idoneos?

Mihi placet prudens judicium Antonij Perezij, qui *in jure publico* de hoc argumento ſic loquitur: Si leges fun-

damentales Regni peregrinos rejiciant, iis standum est: si verò nihil disponant, sunt illi nonnunquam admittendi, in quibus singularis viget virtus & prudentia: sed id cum modo, ne tandem in peregrinorum potestatem Regnum deveniat. Quibus tamen anteponendi indigenæ idonei; quia charitas ordinata à se incipit. Durum & crudelitati proximum esset, sitientibus agris propriis, ad aliorum usum ex tuis prædiis aquam propagari, ut ait Claudius Imperator *L. 6. de servit.* Hactenus Perezius.



CAPUT LXV.

Non expedire, ut Princeps vendat officia Reipublicæ, præsertim Iudicialia.


PEriculosæ sunt officiorum, præsertim judicialium, nundinationes.

nes. Verendum eſt enim, ne, qui poteſtatem ſententiæ emit, ſententiam ipſam divendat.

Aliter ſentit Gallia, in qua ex venditionibus officiorum 20. annorum ſpatio in ærarium Regium 46. milliones Coronatorum illati fuêre. Quam Venditionem Galli legitime fieri arbitrantur exemplo Venetorum, qui cùm in bellum contra Ludovicum XII. Regem Galliæ geſtum quinque milliones ducatorum inſumpſiſſent, ut exhauſtum ærarium denuò replerent, officia publica & Magiſtratus vendiderunt: unde 90. Milliones (ſi vera narrat ſcriptor turbarum Galliæ) compararunt.

* * *

* *



CAPUT LXVI.

Consilia de rebus agendis à Principe occultanda, & ante tempus non evulganda esse.

COnsilia de negotiis alicujus momenti tam diu occultanda sunt, donec negotium vel ad exitum, vel certè eò usque perductum fuerit, ut jam impediri non possit. Nam aliàs multi, sive amore & spe commodi allecti, sive timore incommodi perterrefacti, vel invidiâ & æmulatione permoti, conatibus obsistent; imò vim totam consilij adversùs auctorem illius convertent.

Quemadmodum cuniculi subterranei, magni aliàs in re bellica usûs (si effectum sortiantur) detecti plurimùm suismet auctoribus obesse solent; ita Principum Consilia in vulgus

gus edita, & non eâ, quâ decet, religione secreti occultata, hostes instruunt, & his potiùs, quàm ipsis consiliorum auctoribus prosunt.

Inter omnia Reipublicæ Venetæ præclarissima instituta, quibus illa in hunc usque diem, raro Aristocratici Imperij exemplo, viget floretque; non aliud mirabilius esse Boccalinus asserit, quàm quòd præcipua negotia Senatui Rogatorum, qui plusquàm ducentis & quinquaginta Nobilibus constat, consultanda & expedienda permittat; & tamen summum horum omnium, simillimúmque oblivioni silentium, cum summa fide conjunctum, experiatur.






CAPUT LXVII.

Non expedire, ut Princeps in Concilio præproperè sententiam suam manifestet.

DUm res aliqua in consultationem adducitur, non expedit Principem, quid sentiat, manifestare, antequam Consiliarij omnes sententiam suam exposuerint; ne ipsis *assentiendi necessitas imponatur*, Tacitus. 4. Annal. & loquendi libertas, quæ consiliorum est anima, eripiatur. *Silere autem* (inquit Polybius lib. 9. in princ.) *non linguâ tantùm oportet, sed multo magis mente. Multi enim sermone tantùm celantes, ipso aspectu & vultu revelârunt sua decreta:* Propterea quòd *vultus atque frons sit animi janua, quæ significat voluntatem abditam atque retrusam.* Cicero de petit. Consul.

Imperator Tiberius dicere solebat, ut scri-

ut scriptum reliquit Dio Cassius lib. 57. Principis animum nemini cognitum esse debere, eúmque intellectum magnorum esse causam malorum: præsertim si de negotio gravi in Concilio disceptetur. Unde Polybius in narratione rerum gestarum à Philippo Macedonum Rege lib. 4. encomij loco ait: *Post omnes Rex sententiam dixit.*



CAPUT LXVIII.

Arcana Status non esse à Principe propalanda.

OMnia Imperia habent sua, quibus innituntur fundamenta, iisque accommodatas leges ac regulas, in quarum observatione totius Reipublicæ salus consistit. Atque hæc vocantur *Arcana Status*: quæ nemini nota esse convenit, nisi Principibus, & qui secreti Senatus pars sunt.

Hujusmodi secreta Imperij admini-
nistran-

nistrandi mandata dedit Carolus V. Cæsar Filio suo Philippo II. & Hic Philippo III.

Cleomenes Spartanus, teste Plutarcho in Vita illius, quòd Ægyptii regni arcana perdidicisset, in illo ipso Regno jussu Ministrorum Regiorum occisus est.

Apud Venetos nullum majus piaculum est, quàm nimia cum Senatoribus, quibus *Arcana Statûs* perspecta sunt, familiaritas. Nolunt enim illi (& sapientissimo sanè consilio) ab externis suæ Reipublicæ secreta explorari. Malunt haberi rustici, inhumani, contemptores, quàm Reipublicæ suæ arcana vulgari.




CAPUT LXIX.

Quòd Divisio Imperij à Principe vitanda sit.

PRudentes Reges & Principes plerumq; omnes Arithmeticæ Politicæ spe-

cæ ſpecies (præſertim *Additionem* & *Multiplicationem*) & addiſcunt facilè, & exercent libenter, præter *Diſivionem* Imperij & potentiæ.

Anno 1501. Ferdinandus Hiſpaniæ, & Ludovicus Galliæ Rex, de dividendo Regno Neapolitano deliberarunt. Sed res intra deliberationem (rectiùs dixerim, ſimulationem) ſtetit. Nam impatiens ſocietatis cupido regnandi, Arte Hiſpanicâ Gallum Regno depulit :. & virtute Conſalvi armante Ferdinandi Regis conſilia, præclariſſimum Regnum, magno Galliæ vulnere acceſſit Hiſpaniæ. Hic eſt ille Conſalvus, qui per 200. Urbes & 70. oppida Regi ſuo comparata, *Magni* cognomentum adeptus eſt. Qui tamen æmulorum appetitus invidiâ tandem domi ſuæ doloris vehemenia contabuit.



CAPUT LXX.

De Arte medica, quâ periti Principes morbis Reipublicæ mederi solent.

IRritati populi curandi sunt à Principibus velut icti à tarantula.

Hoc dictamen sequentibus verbis declarat Danæus in Aphorismis Politicis. Is, inquit, qui læsus est à tarantula (cujus punctura effugit visum) jacet humi velut corpus mortuum, oculos & vultum inflammatum quasi igne ostendens. Experientia docuit, nullis medicamentis morbum hunc tolli posse, nisi musicâ Utricularij. Hic accersitus canere fistulâ incipiendo, accuratè observat, quem motum corpore facturus sit læsus. Si videt corpus immobile, mutat tonos musicales: mox alios aliósque & diversos; nec cessat cantare diversimodè, donec videat ægrotum incipere habe-

habere aliquem sensum, movendo paulatim extremitates digitorum in manibus & pedibus: unde Utricularius conjectat, istum tonum esse accommodatum morbo illi abigendo. Fortiùs igitur insistit cantare illo tono, nec quicquam mutat, aut variat. Hac musicâ excitatus ægrotus, recipit spiritus, & quasi rumperet fortia quædam vincula, incipit robustè & furiosè movere pedes, crura, brachia, manus & totum corpus. Mox cum impetu è lectu prosiliens, ac si dæmonibus corpus haberet repletum, incipit saltare integrum diem, adjunctos sibi quosdam habens saltum adjuvantes singulis diebus: qui non cessant, sed incumbunt isti operi, donec ægrotus veneno per motum istum penitus concocto, se sentiat à morbo liberatum.

Hoc modo beneficus Princeps & prudens Politicus conetur invenire aptum tonum & salutarem curam, morbis illis gravibus, quibuscum

Respu-

Respublica conflictatur, tollendis; alioquin si ferro & igne velit curare malum, quod lenibus remediis curandum est; non tollet morbum in Republica, sed malo suo eum augebit. *Huc usque Danaus.*



CAP. LXXI.

Prudens accomodatio ad ingenia subditorum est laudabilis in Principe.

ILle Princeps in regimine suo utitur ingenio, qui se subditorum suorum accommodat genio.

Hoc enim Deus ipse in gubernatione mundi facere solet: ut observat Lipsius *lib. 2. de constantia cap. 9.* ubi ait: *Vides Hetrusca ingenia nimis alta, inquieta & excitata: Deus ea Principe coërcet; Helvetiorum sedata & mitia: libertatem indulget; Venetorum media: medium dat Regimen, scilicet Aristocraticum.*

Præ-

Præterea Princeps consideret, & velut ex alto speculetur, quænam ingenia subditorum suorum sint magna, quæ exigua: quæ generosa, quæ abjecta & ignava. Ingenia generosa per *Verba*, abjecta & ignava per *Verbera*: illa *monendo* hæc *minando* gubernantur. Ingenia exigua, vel mediocria, facili negotio reguntur: secus magna & excelsa.

Magna Ingenia sunt magnis similia navigiis, quæ merguntur faciliùs quòd magna sint, nisi gubernaculo pareant. Itaque Princeps cautè utatur operâ eorum Ministrorum, qui Ingenio Magno, Virtute non Magnâ præditi sunt.



CAPUT LXXII.

Conservatio amicitiæ inter Agnatos suadetur Principi.

BOni Principes amicitiam cum suis Agnatis & Consanguineis magno studio


ſtudio conſervare conantur illæſam. Quòd ſi verò eventu aliquo ſiniſtro (ut nihil eſt in rebus humanis firmum) violata fuerit, de eadem quamprimum reconcilianda & redintegranda anxiè ſoliciti ſunt. Sicut enim ex unitis humoribus bona corporis valetudo, ita ex Agnatorum amicitia firma ſceptri ſecuritas promanat.

Hinc Jacobus Magnæ Britanniæ Rex, in Baſilico ſuo amicitiam Fratrum Primogenito impensè commendat. Cyrus quoque Cambyſi filio ſuo ſapienter ſuaſit, ut agnatos & propinquos humaniter tractaret, ad evitandam diſcordiam, quæ plerumque inter Principes Conſanguineos non ſine ſanguine terminatur.

Non è peggior lite, che tra ſangue è ſangue.

Inde enim oriuntur bella civilia (inquit Sprengerus in Bono Principe) quæ ſolis exteris emolumentum afferunt. Teſtis eſt Gallia, quæ ex diſcor-

ſcordia inter Regem & proximos Agnatos, vulgo *des Princes du ſang*, non rarò in maxima pericula conjecta, & plurimis incommodis affecta eſt.



CAP. LXXIII.

Cauta ſociorum electio eſt actus Principalis Ingenij.

NON eſt tibi eligendus in ſocium, qui tuus eſſe poſſit, cùm libuerit, Dominus.

Impacta eſt in hunc ſcopulum fortuna Joannis Palæologi, qui Anno Chriſti 1360. fœdus iniit cum Amurathe III. Turcarum Imperatore. Sed turpiſſimæ ſocietatis juſtiſſima pœna fuit, ſervitus Palæologi, qui Amurathis factus eſt vectigalis: titulo Socij in conditionem ſervi commutato.

CA-

te velut auxiliator, ſit reipſa vitæ tuæ inſidiator.

Audi fabellam Homericam. Mus felis ſibi inſidiantis ungues devitans, fuga ad lacûs ripam ſeſe contulerat, ibique ſitim pariter ac fatigationem hauſtâ aquâ levaturus conſtiterat: quem ubi rana conſpicata eſſet, genúſque muris non ignobile, atque etiam periculum vitæ impendens didiciſſet, aquarum illi hoſpitium, dorſúmque, quo veheretur, amicè obtulit. Nec detrectavit Mus obſequium. Excipitur itaque mollibus Ranæ humeris, fertúrque primo, inſolita natatione lætus. Verùm ubi ſpargi aqua vento, ranáque nonnunquam ſubſidere natatu altiùs cepiſſet, ac tandem hydrus ipſi infeſtus apparuiſſet, repentè rana ſeſe ad tutiorem lacûs receſſum recipere cepit; cùm muſculus ſerâ facti pœnitentiâ opem vectricis ſuæ inclamare, obluctari fluctibus, mergi aquis, rurſúmque victor emergere; donec madido gravanté-

vantéque pilo, ac viribus sensim fractis, undisque vincentibus, hausta aqua animam interciperet.

Ita nonnunquam accidit inter homines, uti qui inani fiduciâ patrocinium alterius vel imploraverant, vel oblatum acceptaverant, versâ deinde Patroni benevolentiâ in malevolentiam, aut interveniente casu aliquo sinistro, pro speratâ salute incurrant perniciem, quam formidaverant.

Id accidit Pompejo, cùm post pugnam & cladem Pharsalicam se in Ægyptum contulisset, ubi ab Achillâ Servo Ægyptio interfectus est.

Illud denique sapientissimorum Politicorum consilium est, à Principe potentiore, sine multis cautelis, magnáque circumspectione, non esse petendum auxilium.

Docet nos hoc apologus, quo Hymerensibus olim ostendit Stesichorus, inconsultè ab illis Phalaris potentioris Principis protectionem admissam esse.

Equus

Equus, ait ille, pristinâ adhuc in protis libertate fruens, nullique jugo, aut habenæ obnoxius, dolebat infesta suis pascuis cervorum agmina imminere, & optimos quosque bolos præcerpere. Quare submovendi hujus consortij avidus, hominem adit, orátque adversùs cervos ut sibi præstet suppetias. Non detrectat Homo. Itur in consilium, quâ ratione id optimè impetretur, ut ne tam impunè in pascua irrumpant cervorum agmina? ac denique placuit, ut armatum suis hominem telis equus in dorsum acciperet, atque habenas ore admitteret, quo consultam ab homine viam, directus ipse à prudentiore Magistro capesceret, Ita adversùs cervos felici expeditione processum est, partim fugatis, partim in prædam abstractis feris. Sed equo deinde pristinam libertatem roganti; negavit homo id sibi fas videri; æquum enim esse, ut qui tam utilem ipsi navasset operam homo, rursus eodem ad suum commo-

modum fruatur. Unde sub admissis inconsultè habenis equo imposterum serviendum fuit: exemplo posteritati relicto, non facilè potentioris Domini opem, nisi circumspectè admodum esse admittendam.



CAP. LXXV.

Quòd electio mediorum & executio intentioni finis à Principe constituti correspondere debeat.

FAcile est Principem aliquid animo designare faciendum, sed id per idoneam electionem mediorum executioni demandare, sæpe est admodùm difficile.

Multa designamus voluntate, quæ non perficimus facultate.

E più facile volere, che volare. Itaque ad prudentiam Principis, & Consiliariorum sagacem industriam pertine-

tinebit, ita procedere in via *Intentionis*, ut non aberrent à via *Executionis*: in qua Politicorum judicio, bonorum consiliorum vis & efficacia potissimùm consistit.

Consulere & non exequi, est concipere & non parere.



CAP. LXXVI.

Periculosa & dubij eventûs negotia per Ministros, & non per Principem expedienda esse.

NOn solent Principes prudentiæ laude inclyti, personalem impendere operam ijs negotijs expediendis, quæ cùm sint gravia & ardua, non carent insuper periculo, executioni annexo, & ancipiti eventui subjecta sunt. Cùm enim ea sit Principum fortuna atque conditio; ut negotia, quæ sunt præcipua majorísque

momenti, ad famam dirigere debeant: æquum eſt, eos non niſi tuta, & cum certa gloria conjuncta, ſibi ſumere expedienda; ardua verò, periculoſa, & dubitabili ſucceſſui obnoxia, Miniſtris atque Legatis permittere; ut ſi cœpta non ſucceſſerint, non Principis infelicitas, ſed Miniſtri imprudentia appareat.




CAPUT LXXVII.


Quòd Præfecturæ immediatè & perſonaliter per Principem, non verò mediatè per ſubſtitutos Miniſtros conferendæ ſint.

OSſatus Cardinalis in Epiſtolis, imprudens quorundam Principum conſilium improbat; qui non per ſe immediatè, ſed per Provinciarum præſides, Civitatibus Rectores

res, præſidijsq; Præfectos imponunt. Hoc enim eſt munus Principis: ad quem pertinet, gratioſa per ſe, odioſa per ſuos diſtribuere. Nam aliàs ſi hic ordo invertatur, paulatim odium Principi, benevolentia Miniſtris conciliabitur: quorum alterum Principis dignitati, alterum ſecuritati contrarium eſt.

Quo in genere, ut in plerisque aliis regnandi capitibus, graviter erravit Henricus III. Gallorum Rex: qui, cùm Maximarum Provinciarum adminiſtrationem gratioſis in Aula hominibus tradidiſſet; ijſdem etiam, ut civitatibus, quos vellent Judices, arcibúsque Tribunos ac Centuriones præficerent, poteſtatem fecit.





CAP. LXXVIII.

Quòd Conventuum publicorum, seu Comitiorum prudens ordinatio & directio ad Principem spectet.

IN Comitiis cogendis Majestas, in ordinandis ac dirigendis prudentia Principis relucet.

Porrò ad prudentem Comitiorum ordinationem ac directionem requiritur inprimis, ut qui illis intersunt, ad scopum boni publici, exclusis inutilium actionum ambagibus, collimènt: ne cogamur credere verum esse, quod non ita pridem de Comitiis Ratisbonensibus dixit quidam Politicus: *In protestatione convenimus, conveniendo compotamus, compotando consulimus, consulendo confundimus, confundendo concludimus, conclusa rejicimus, & salutem patriæ non consideramus.*

Duo insuper in magnis Comitijs sunt præ aliis necessaria: annonæ abundantia, & animorum concordantia.

Eluxerunt hæc duo in Comitijs illis Polonicis, quibus Henricus Andium Dux in Regem Poloniæ electus fuit. Cùm enim eo tempore centum millia Equitum intra quatuor milliariũ spatium circa urbem Warsaviensem diversarentur, quadraginta ampliùs dies non pabulum equis, non vinum hominibus, non carnes, non pisces, non cætera esculenta defuêre: quódque palmarium est, & fidem penè superat, nullæ simultates, aut rixæ toto eo tempore in tam numerosa nobilitate auditæ sunt.

In Comitijs Germanicis duo M.M. Multitudo & Mutabilitas: & duo P.P. Prolixitas & Prodigalitas vitanda sunt.


De multitudine Comitiorum Germanicorum scripsit Æneas Sylvius *Epist.* 72. in hæc verba: *Omnes Ger-*

manorum diætæ sunt fœcundæ, & quælibet in Ventre habet aliam. Estque credibile (quia fœmininum est nomen) libenter impregnari diætas ac parturire.


De Mutabilitate Comitiorum nostrorum dixit Carolus V. Imperator, teste Lipsio *in Notis ad lib. 8. Politic. cap. 5.* Sicut viperæ Matres tollunt, ita Comitiorum Germanicorum posteriora decreta tollunt priora.

Prodigalitatem denotat Conviviorum luxus & frequentia.

Prolixitatem efficiunt immodicæ & intempestivæ controversiæ de sessionibus: de quibus Joannes Samoiscius Magnus Poloniæ Cancellarius: *Germani*, inquit, *in suis Comitiis ferè nihil aliud agunt, quàm ut sessionibus digladientur.*



CAP.



CAP. LXXIX.

Quòd fœdera peritè à Principibus tractanda sint.

Fœdera prudenter & peritè tractantur à Principibus: Primò, si ea sanciant cum illis, de quorum fide & constantia, ac proinde de ipsorum firmitate fœderum prudenter dubitari non potest.

Cæterùm hujusmodi fœdera non censentur ea, quæ inter Reges & Respublicas seu civitates ineuntur. Hæc enim non sunt admodùm tuta & firma; propterea quòd Regum & liberarum civitatum res inter se naturâ suâ pugnent, ut scriptum reliquit Polybius: & rara sit Regum liberarúmque civitatum concordia, ut asseruit Demosthenes.

Secundò, si mutabilitati fœderum congruenti aliquo remedio consulatur.

tur. Cæterùm optima & expeditissima ratio conservandi fædera illibata hæc est; ut ab ijs, qui fœdera paciscuntur, commune aliquod concilium, quod de eorum inter se controversiis postea cognoscat & judicet, communi consensu constituatur. *Fuit id observatum olim in fœderibus Atheniensium & Lacedæmoniorum.*

Tertiò, si fœdera paciscentes non nimiam in ijs fiduciam collocent; sed potiùs sibi persuadeant, in eorum firmitate fortunam suam tutò fundari non posse.

Fœderibus tantum inest efficaciæ, quantum mutabilis contrahentium voluntas permittit. Sæpe illa quàm facilè coalescunt, tam leviter rursum dissolvuntur.

A fœdere illo, quod inter *Anglos* & Hispanos contra Regem Galliæ apud *Guicciardinum lib.* 11. conflatum erat, post acquisitum Navarræ regnum, resiliit Ferdinandus Hispanus, nec adigi potuit ullo mo-

do,

do, ut arma sua Anglis ultrà jungeret.

Cùm Clemens VII. Pontifex, Franciscus Rex Galliæ, ac Respublica Veneta, sociatis armis libertatem tueri, ac nimiæ Cæsaris potentiæ obsistere decrevissent; nullus initio erat, qui tanto copiarum militarium terrâ marique apparatu, brevi Italiam in pristinum statum restituendam non arbitraretur: re ipsâ tamen & experientiâ, ut sæpe aliàs, ita tunc quoque compertum est, fœdera plus auctoritate & famâ, quàm viribus pollere. Nam præter Laudem Pompejam occupatam & Cremonam deditione receptam, nihil memoratu dignum est gestum; quòd auxiliorum dilatione nihil satis tutò tentari posset.

A fœdere illo, quod inter Pontificem Max. Hispaniarum Regem & Rempublicam Venetam adversùm Turcas initum est, primi omnium Veneti, quòd Hispanum suas tantùm utilitates consectari suspicarentur,

recesserunt. Quo facto ingens illa ad Naupactum victoria nihil omnino rei Christianæ profuit: & nostri, acquisitis navibus, regna amiserunt.

Et sanè non infrequenter Venetorum Respublica, non obstantibus fœderum vinculis, arbitrata est, fortunæ cursum propter incolumitatem publicam, obliquandum esse: ne navis Reipublicæ allisa scopulis naufragaretur, ut observat Forstnerus in notis Politicis ad Tacitum.

Docet id quoque Paulus Paruta Eques & Procurator S. Marci *lib.* 5. *histor. Venet.* ubi Dominicum Trevisanum, prudentissimum Reipublicæ Senatorem & S. Marci Procuratorem his verbis in senatu perorantem inducit: Cogimur parere necessitati temporum, & sæpe mutare voluntatem, propositum, amicos & inimicos, suspectam habere omnem externam potentiam, timere multa, fidere paucis, & perpetuâ vigilantiâ aliorum actiones observare, ut ad illas insti-

instituamus nostras; habentes in ista inconstantia unum constantissimum propositum, conservationem status nostri, & magnitudinem Reipublicæ.

Trevisano adstipulatur Leonardus Hemus, homo gravis & prudens, variisque tam domi, quàm foris pro salute patriæ negotijs exercitus. Ejus hæc sunt apud citatum Parutam *lib.* 8. *Histor.* verba. Non dubitavimus accedere modò huic, modò alij; quomodo nobis suadebat temporum ratio & utilitas nostra. Tertius decimus nunc annus est, cùm Regi Francisco fœdere juncti sumus. Verùm crescentibus Cæsareanarum partium viribus in Italia, nec comparentibus Francicis auxiliis; ita ut impossibile videretur impetum hostis sustinere, Cæsaris fortunæ cessimus: secuti consilium, quod nobis suggerebat securitas rerum nostrarum, Cæsaris desiderijs morem gerentes, residuum copiarum Gallicarum Italiâ ejecimus. Verùm paulò pòst resurgente Galli-

câ factione, cùm ipse Franciscus Galliæ Rex expeditionem suo ductu adornaret; relicto quod cum Cæsare nobis intercedebat, fœdere, veterem cum Gallo amicitiam confirmavimus: cui cùm adversè omnia, & præter opinionem successissent, dissipato exercitu ipsóque Rege capto, ut Victoris impotentiæ tempestivè obviàm iremus, denuò cum Cæsare pacti sumus. Cujus magnitudo atque potentia cùm inciperet esse suspecta; ut primùm in Rege Franciæ jam tunc liberato experiendorum armorum cupidinem advertimus, socios nos illis præbuimus, exigendis ex Italia Cæsareanis. Hæc non omnino duorum annorum spatio gesta sunt. Et certè sapiens fuit consilium servire temporibus; eo enim Rempublicam servavimus, eique cum dignitate pacem restituimus. Hæc Hemus.


Henricus IV. Galliæ Rex, cùm jam eò deducta res esset, ut pacem cùm Hispanis faceret, Anglis impe-

dire

dire volentibus, fidémque datam reposcentibus, respondit : Reges non aliter solere inter se pacem ac fœdera facere, quàm cum hac tacitâ conditione : ut quod rebus suis utile est, semper amplectantur : quod perniciosum est, cautè devitent. Itaque à se exigi non debere, ut bellum periculosi eventûs cum iisdem pacem rebus suis salutarem habere malit. *Ossatus in Epistolis.*

Laudabile quidem est servare pacta & fœdera, si salvis salvandis servari possint. At perditis fœderati rebus, & nullâ nostrâ ope reparandis, sejungere causam, & sibi consulere licet. Stulta fides est, quæ tuum amicum servare non potest, & te ipsum pessumdat : præsertim si nihil sit, quod illum tibi formidabilem reddat. Cæterum tutissima reddit fœdera metus mutuus. Quippe qui ea rumpere vult, dum ambigit, an superior esse possit, metuítque vindictam Socii, absterretur.

Denique id universim de fœderibus dici potest, quòd incerta & anceps eorum sit conditio; sive illa cum vicinis, sive cum longè dissitis ineantur. Priora enim sæpe insidiosa & periculosa (præsertim si fœderatus potentiâ prævaleat) posteriora plerumque infructuosa sunt; cùm vix unquam auxilia necessaria in tempore transmittantur. Quod Itali significanter exprimunt hoc adagio: *L'acqua lontana non mai spegne fuoco vicino.*



CAPUT LXXX.

Monomachias, sive duella à Principibus Christianis nequaquam toleranda esse.

INter nocentissimas Christianæ Reipublicæ pestes, meritò numeratur feralis illa, & penitus rabiosa duellorum consuetudo, quæ cum tanto boni publici privatíque detrimen-

mento conjuncta eſt, ut ſi illius incommoda accuratè perpenderent Principes, fieri non poſſet, quin ad eam efficaciſſimis remediis tollendam impellerentur.

Fateor equidem, non omnia prorſus duella, quæcunque ex cauſa vel oblata, vel acceptata, eſſe impietatis condemnanda; quia etiam David cum Goliath decertavit duello, quod erat licitum & ſanctum; tum quia inſtigante DEO initum: tum quia auctoritate Regis Saulis ad neceſſariam Reipublicæ defenſionem ſuſceptum. Subinde enim licet bellum vertere in duellum, cùm id publicâ authoritate fit, ut unius cæde multorum ſtrages redimantur. Sic Romani bellum cum Albanis, verterunt in duellum trium Horatiorum cum tribus Curiatiis, utrimque tergeminis Fratribus. Simili ratione S. Wenceslaus Rex Bohemiæ, à Radislao Duce Curmienſi Bohemiam invadente provocatus ad duellum, illud acceptavit,

vit, ut bellum duello, & populi periculum suo discrimine redimeret. Deo igitur suppliciter invocato, equum vir sanctus conscendit; & mox ejus adversarius vidit illi ab Angelo hastam porrigi, se verò ab eodem hac voce moneri, *Noli ferire*. Quo viso perterritus ex equo desiliit, & ad pedes Sancti procidit veniam petens: quem ad parcendum, quàm ad ulciscendum paratiorem invenit.

Alia est ratio duellorum, quæ privatâ auctoritate, ad privatæ injuriæ vindictam, capessuntur; hæc enim planè sunt vetita & inconcessa, nec à Principibus concedenda.

Sed nolo de hoc argumento quidquam ex meo sensu proferre. Habet enim modernus mundus impatientissimas aures, ad audiendum in hac materia veritatem: posśetque videri periculosum, contra tot millia armatorum, in seipsos crudelium, ingratam proferre sententiam. Dixi, *tot millia*; quia constat ex Theophi-
lo

lo Raynaudo *lib. 5. de virtutibus*, in ſola Gallia intra annos 30. tot ceciſſe in duello, quot ſuffeciſſent ad numeroſiſſimum exercitum conflandum, ipſóſque Turcas Chriſtiani nominis hoſtes vexandos. Audiamus igitur, quid ſentiant de hoc puncto alij me multò ſapientiores.

Cornelius à Lapide, vir ſapientiſſimus, & editis in ſcripturam ſacram commentariis eruditiſſimis illuſtris, in Cap. 47. Eccleſiaſtici vocat duella planè illicita, injuſta & ſcelerata, ideóque graviſſimis pœnis à ſacris Canonibus caſtigata.

À Concilio Valentino appellantur duellantes *Latrones cruenti*, & *homicidæ nequiſſimi*; prout obſervat Theophilus ſupra citatus.

Concilium Tridentinum *ſeſſ. 25. c. 19.* loquitur in hæc verba: Deteſtabilis duellorum uſus, fabricante diabolo introductus, ut cruentâ corporum morte animarum etiam perniciem lucretur, ex Chriſtiano orbe peni-

penitus exterminetur. Imperator, Reges, Duces, Principes, Marchiones, Comites, & quocunque [alio nomine domini temporales, qui locum ad Monomachiam in terris suis inter Christianos concesserint,] eo ipso sint excommunicati, ac jurisdictione, & dominio Civitatis, castri, aut loci, in quo, vel apud quem duellum fieri permiserint, quod ab Ecclesia obtinent, privati intelligantur; &, si feudalia sint, directis Dominis statim acquirantur. Qui[ ] verò pugnam commiserint; & qui eorum Patrini vocantur, Excommunicationis, ac omnium bonorum proscriptionis, ac perpetuæ infamiæ pœnam incurrant; & ut homicidæ, juxta sacros Canones, puniri debeant, &, si in ipso conflictu decesserint, perpetuò careant Ecclesiasticâ sepulturâ. Illi etiam, qui consilium in causa duelli, tam in Jure, quàm facto dederint, aut alia quacunque ratione ad id suaserint, nec non spectatores, ex

com

communicationis, ac perpetuæ maledictionis vinculo teneantur: non obſtante quocunque privilegio, ſeu pravâ conſuetudine, etiam immemorabili. Hucusque Tridentinum Concilium.

Nicolaus Cauſſinus, vir probitatis doctrinæque ſpectatiſſimæ, duella (inquit *in Aula ſancta tom.* 1. *lib.* 1.) naturam hominis in omnimodam beſtialitatem transferunt. Erutum è terræ viſceribus ferrum quodammodo rubore ſuffunditur, dum ſe ad talem carnificinam videt adhiberi, & manu hominum exacui ad homines trucidandos. Hi miſerandi homines, jam propter interpretationem unius voculæ, jam ex mera & futili cordis levitate, verbis aut ſcripto ad duellum ſe provocant; pugnæ locum deſignant; arbitros, certaminis fautores, &, ut vulgò nunçupantur, patrinos deligunt; orant, & exorant ſuccedaneos, ſeu ſecundarios; qui cùm ſint animo tranquillo, & minimè accenſo, probè animadvertunt, quòd

ſe

ſe vitæ periculo exponere contra hominem, qui ſe nunquam offenderit, imò nec innotuerit quidem, ſit factum hominis cerebro deſtituti; nihilominus tamen eunt, tyrannicè tracti legibus vaniſſimi reſpectûs, qui alio non nititur fundamento, quàm ſtultâ hominum imaginatione. Speciem quidem exteriorem hominis nil formidantis præſeferunt, at verò cor interiùs conſideratione præſentis periculi timore incredibili concutitur. Locum ſecretiorem velut veneficæ inquirunt, & nonnunquam ad ſplendorem lunæ hoc deteſtabile facinus perpetrant; non conſiderantes, quòd eos Deus tot oculis intueatur, quod lucent in firmamento ſidera. Furor iſte plusquam beſtialis pro finę habet mortem corporis, æternam, & irreparabilem animæ jacturam, Dei inevitabilem iram, Principum & Magiſtratuum manifeſtam indignationem, legum minas & fulmina, Juſtorum execrationem, ac tandē cæli terræq; maledictionem.

Conan-

Conantur illi, nescio qua honoris defendendi necessitate, inexcusabile hoc crimen quodammodo excusare, & veluti cohonestare; sed falluntur cæci, & se aliósque miserrimè fallunt. Longè alia honoris tuendi ratio ab homine Christiano miri & potest, & debet. In quem finem, duplicem à provocatis ad duellum doctrinam considerari velim.

Prima est, quam tradit Dominicus Bannez vir doctissimus, & primi subsellij Theologis accensendus. Ne te abdas tenebris (inquit hic auctor) sed ambules in publico, non caperatâ, & contractâ sed exporrectâ & explicatâ fronte. Et si contigerit adversarios tuos tantæ esse temeritatis, ut te aggrediantur, fac tunc ut te paratum inveniant ad justam tibi defensionem, quam lex naturæ cuilibet permittit.

Sed huic doctrinæ non acquiescit mundus. Responde ergo pro-

vocan-

vocanti ad duellum, quod Augustus Cæsar respondit M. Antonio, cùm ab eo ad singulare certamen, seu duellum provocaretur. Is Antonio denunciari curavit, quòd ubi rerum suarum desperatione ad eam redactus fuerit rabiem, ut vitam oderit, alias se tunc inquisiturum vias moriendi honestiores isto cruento furore.

Quid ad hæc ô Nobiles? nónne & Augustus, qui oblatum duellum recusavit, nobilis fuit? Quòd si dicas, illud Augusti responsum homine timido dignum esse: ajo ego, timidum illum interim primum mundi constituisse Imperium; Antonium verò, qui eum ad duellum provocaverat, cum tota sua generositate, in sinu & brachiis feminæ obiisse inglorium.

Altera doctrina est S. Ephræsasyri, citati ab Aloysio Novarino *Opusc. Vari. Tom. VII. Epist.* 42. Ex qua duellantes, qui se necessariâ honoris


sui

ſui defenſione excuſare ſolent, liquidò intelligent, in quo verus Chriſtianorum honor, & genuina gloria conſiſtat. Gloria Chriſtianorum (inquit ſanctus ille) Dei præceptum eſt. Gloria Chriſtianorum, Apoſtolorum & Prophetarum doctrina eſt. Gloria Chriſtianorum, humilitas animi eſt, ſpiritalis paupertas, atque obedientia. Gloria Chriſtianorum, pſalmodia cum compunctione. Gloria Chriſtianorum, pœnitentia cum lacrymis. Gloria Chriſtianorum, manſuetudo & quies, omnibúsque ſe ſubmittere, ac reverentiam tribuere. Gloria Chriſtianorum eſt, dicere ſocio: peccavi tibi, ignoſce mihi. Gloria Chriſtianorum, advenarum & peregrinorum eſt receptaculum, atque compaſſio. Gloria Chriſtianorum & ſalus eſt, ſemper menſâ ſuâ pauperes, orphanos, advenáſque excipere; hanc etenim domum Chriſtus ſuâ præſentiâ nunquam deſtituet. Gloria Chriſtianorum eſt, non ſinere ſo-

lem occidere ſuper iracundiam ſuam, neque in inimicitiâ adversùs aliquem obdormiſcere. Gloria Chriſtianorum, atque corona eſt, tribulationes ſufferre, & non indignari.

Hucusque Sanctus Ephræſaſyrus de vera Chriſtianorum gloria: quam ſi duellantes præ oculis haberent, & pro ſcopo ſibi præfigerent, de duellis, ſub vaniſſimo honoris ſui conſervandi prætextu, ne cogitationem quidem ſuſciperent.

Non eſt Chriſtiana generoſitas, ſed inſana ferocitas, omnes de puncto honoris exortas controverſias acumine gladij velle expungere.



CAP.

CAPUT LXXXI.

De peritia Artis militaris Principibus necessaria.

CUm duo ſint Regnorum vincula adamantina, *Arma & Leges*; non oportet Reges & Principes rerum bellicarum eſſe rudes & imperitos. Conſtat autem ars militaris permultis præceptionibus ac regulis, ab ijs qui ſe rei Polemicæ Magiſtros profitentur, traditis: ex quibus nonnullas huic opuſculo inſerendas cenſui.

Regula 1. Princeps ſit pacis amans, dum bella gerit: bellorum providus, dum pacem colit.

Regula 2. Nimia belli appetentia amore pacis refrænanda eſt. Quamdiu enim in pace vivere licet, non eſt decorum Principi, ut arma ſumat. Hoc dictum ſemper in ore habebat Martianus Imperator, pacis amantiſſimus, cujus ſymbolum fuit: *Pax*

bello melior. Valeat igitur, & ad immanes Scythas relegetur symbolum illud Caracallæ: *Omnis in ferro salus*.

Si melior est una uncia pacis, quàm decem libræ victoriæ (ut ait Cardinalis Bellarminus) quanto melior erit una uncia pacis, quàm centum unciæ belli?

Tantò laudabilius est pace bellum avertere, quàm bello pacem quærere; quantò gloriosius est, in semente, quàm in segete mala excindere.

E meglio conservar la pace, che far la.

Regula. 3. De quovis bello suscipiendo prudenter & diu deliberandum est; præsertim de eo, quod est & longinquum, & periculosum; id est, quod adversus validum ac bellicosum hostem, & à nobis procul remotum, gerendum est. *Ex lib. 6. Thucydidis.*

Regula 4. Quidquid ex æquitate & justitia faciendum est, licèt sæpe non ex dignitate Reipublicæ fieri videa-

deatur, nihilominus faciendum eſt, ut bellum, & imminens ex bello calamitas evitetur. *Thucydides loc. cit.*

Regula 5. Oportet Principem antequam bellum decernat, metiri vires ſuas, ne potentiorem laceſſat, non ſine honoris bonorúmque fortunæ detrimento. Quâ in re videtur erraſſe Dux Sabaudiæ, quando uſus (rectiùs dixerim, abuſus) ſymbolo ſuo OPORTUNE, aggreſſus eſt Regnum Galliæ viris & viribus longè potentius. At Rex Galliæ Henricus IV. cusâ monetâ, cujus altera facies inſcriptum exhibebat hoc vocabulum OPORTUNIUS, docuit non eſſe viri prudentis, fortiorem ſe provocare.

Non eſt tutum eos lædere, quos perdere non poſſis.

Regula 6. Cùm bellum perrarò eum finem habeat, qui ſperabatur, ut ait Thucydides *in oratione ad Lacedæmonios*, oportet Principes bella ge-

ſturos cogitare, quis eorum exitus prudenter vel ſperari poſſit, vel timeri debeat: neq; tantùm de hoſte invadendo, ſed etiam de evadendo, deliberare.

Quod utinam præſtitiſſet quondam Archidux Auſtriæ Leopoldus, qui habito cum Proceribus ſuis conſilio, de invadendis Helvetis, & ad obedientiam revocandis, morionem ſuum, qui præſens omnia audiverat, percunctatus eſt, num conſilia inita placerent? non placent mihi, reſpondit morio, quia omnes veſtræ ſententiæ ad invadendum ſpectant, nullus autem de evadendo mentionem facit. Præſagitio fuit, quam eventus ipſe comprobavit; Dux enim cum ſuis occubuit.

Regula 7. Bellum aut inferimus, aut illatum repellimus ac propulſamus. Hôc Reipublicæ conſervatio, illô Imperij propagatio quæritur. Ad illud ſpe impellimur, ad hoc metu cogimur. Hoc ſemper juſtum piúmque

ſimque eſt, & naturæ conſentaneum, quæ vim vi repellendam ſuadet: Illud ſæpe injuſtum, quia cauſæ, quibus res tam gravis cohoneſtetur, frequenter deſunt.

Regula 8. Arma & leges fraternizant; quia arma legibus, & leges armis indigent. Itaque Principes inter arma legum, & inter leges armorum meminerint.

Regula 9. Arma ſunt ingloria, quæ non ſuſcipiuntur pro DEI gloria.

Quod agnoſcens Henrius IV. Rex Galliæ cognomento Magnus, Anno 1061. dexteræ filioli ſui Ludovici XIII. recens nati capulum gladij inſerens, DEUM exercituum precatus eſt, ut eo olim ad propagationem gloriæ ſuæ uteretur. *Bucelinus in Annal. Galliæ.*

Regula 10. Non pietate minùs, quàm armis pugnatur in hoſtes.

Agnovit hoc Turcarum Imperator cùm dixit: *Ferdinandus* (hujus nominis Secundus, Roman. Impe-

rator) *sanctus est, Deus cum illo est, & pro illo pugnat.* Refert Avancinus *tract. de virtut. Leopoldi Guilielmi Proleg.* 1.

Regula 11. Fortissimum in bello munimentum est fiducia in ope divina.

Veritatem hujus Regulæ Leopoldus Guilielmus Ferdinandi III. Frater chirographo suo contestari voluit, quando illo ipso die quo Cæsaris nomine primùm arma suscepit, hanc suæ virtutis tesseram hierothecæ de collo pendulæ inclusit: *Jesu quem timebo, quando tu non tantùm mecum es, sed & meus es.* Idem laudatissimus Princeps, monentibus, ut adversùs glandes plumbeas loricâ pectus præmuniret respondit, *lorica nostra DEUS est.*

Regula 12. Auxilij divini imploratio, est optima ad victoriam præparatio.

Incluserat Serenissimus Leopoldus Archidux Augustissimi Imperatoris nostri Leopoldi Patruus, intra

mœ-

mœnia Neoburgi ad fines Bohemiæ Slangium, militiæ Suecicæ Ductorem, cum numeroso milite. Insistebat magnâ violentiâ mœnibus, ut hostem ad deditionem compelleret; sed nondum pertinaciam expugnabat. Imminebat tempus assultui deputatum, cùm Archidux ad suos conversus: *Missæ*, inquit, *sacrificium audiamus, & DEus vecordem reddet inimicum.* Mirum dictu! ubi primùm sacra hostia præsentibus spectanda in altum sublata fuit, auditum è mœnibus deditionis signum: ad quod Serenissimus Archidux piè: *Sic hostes vincendi sunt.*

Regula 13. In formando exercitu à ventre incipiendum est.

Ita sensit Colignius Admiralius Galliæ, qui hoc dicto indicare voluit, exercitui ante omnia de commeatu providendum esse. *Thuanus lib. hist.* 42.

Regula 14. Gloria militaris non cedendo, sed cædendo: non feriando,

sed feriendo: non fugiendo, sed fugando comparatur.

Regula 15. In bello lima ferri est aurum; & ferrum hebescit, quod ab auro non acuitur.

Regula 16. In bello locus medius est optimus; quia fortes tenent locum medium inter timidos & audaces.

Regula 17. In bello plus operatur largitio argenti, quàm explosio tormenti.

Li martel d'argento rompe le porte di ferro.

Regula 18. In bello maximarum momenta rerum sæpe momento temporis avertuntur & pereunt. Itaque celeritate opus est.

Anno 1620. Maximilianus Bavariæ Dux, quinque dierum spatio superioris Austriæ Proceribus concesso, intra quos velint necne mandatis Cæsareis parere, deliberarent; interim non elapsis adhuc illis quinque diebus, exercitum ad Provinciæ

limites

limites admovit: quâ celeritate perculsos ad omnia obedientes Austriacos habuit.

Comes Mauritius Hollandicarum Copiarum Ductor, Anno 1591. Zutphaniam, Daventriam, Hulstam, Delfziel, Noviomagum, urbes egregiis propugnaculis munitas, pauculorum spatio mensium in potestatem redegit: ut proinde non immeritò *Aquila volans,* & *Fulmineus terror Belgij fuerit* cognominatus.

Regula 19. In bello contra viros potiùs quàm contra muros dimicandum est.

Francisci Sfortiæ bellicosissimi Ducis sententia fuit, devicto hostili exercitu debellatum esse: at expugnatis Urbibus atque castellis, sæpe bellum longè majus superfuisse.

Regula 20 Patientia & constantia sunt duo Maxima ad bellum feliciter gerendum præsidia.

Cùm Anno 1550. sub auspiciis Mauritij Ducis Saxoniæ Magdebur-

gum obſediſſet Carolus V. Imperator, Urbs hæc licèt in magnas redacta eſſet anguſtias, patientiâ tamen & conſtantiâ rem eo deduxerunt Magdeburgenſes ut impetratis gratiſſimis pacis articulis, victores evaſerint atque in gratiam ab Imperio recepti fuerint.

Regula 21. Felix belli eventus non tam quantitate militum, quàm qualitate obtinetur.

Roswurm egregius Polemarchus, ſeptem Germanorum Militum millibus ſtipatus, quinquaginta Turcarum millia in fugam egit.

Alexander M. domiturus orbem terrarum, eduxit in aciem triginta millia peditum, & quatuor vel quinque millia equitum. Hac tam parvâ manu univerſum terrarum orbem utrum ſit admirabilius, vicerit, an aggredi auſus fuerit, incertum eſt; cùm ad tam periculoſum bellum delegerit Alexander non juvenes robuſtos, ætate primâ florentes,

ſed

ſed veteranos, & pleroſque etiam emeritæ militiæ, qui cum Patre Patruiſque militaverant: ut non tam milites, quàm Magiſtros militiæ electos putares. Ordines quoque nemo niſi ſexagenarius duxit: ut ſi principia caſtrorum vidiſſes, Senatum te alicujus priſcæ Reipublicæ conſpexiſſe diceres. Itaque nemo in prælio fugam, ſed victoriam cogitabat; nec in pedibus cuiquã ſpes, ſed in lacertis erat. Ex adverſo Rex Perſarum Darius Alexandri adverſarius, ſexcenta millia militum æmulo ſuo oppoſuit: quæ non minùs arte Alexandri, quam virtute Macedonum terga verterunt.

Regula 22. Opulentum ærarium ad bellum eſt neceſſarium.

Bellum enim inexhauſtus pecuniæ gurges eſt: cui explendo non aurei Perſarum montes, non fodinæ auri & argenti utriuſque Indiæ ſuffecerint. Unde quidam Capitaneus Sebaſtiano Regi Luſi-

taniæ, cùm de expeditione in Barbariam suscipienda ageretur, ad id bellum tres torrentes requiri dixit. *Unum virorum, alterum commeatuum, tertium pecuniarum.* Et Joannes Jacobus Trivultius Magni nominis Capitaneus, rogatus, quæ res in bello necessariæ essent? respondit tres omnino necessarias esse: *pecunias, pecunias, pecunias.*

Atque hinc intelligere licet (inquit Klockius *de ærario lib.* 1. *cap.* 1.) quanta plurimorum Principum sit incogitantia, qui tempore pacis nihil collegerunt pecuniæ, nihil sepósuerunt; sed omnia, quæ subditi volentes & nolentes contribuerunt, dilapidando perdiderunt, in res nihili profuderunt; jam verò belli tempore vel solitas ad rapinas convertuntur, & subditos prorsus deglubunt & excoriant: pelli leoninæ plerumque vulpinam & vulpinæ leoninam assuentes; vel certè tantum æris alieni colligunt, ut solvendo non sint. Ita klockius.

Re-

Regula 23. Bella sustinent magis opes superfluæ, quàm violentæ contributiones. *Ex lib Thucydidis.*

Regula 24. Bella consilio, pecuniæ vi, & resistendo magis, quàm aggrediendo conficiuntur. *Dictum Periclis.*

Regula 25. Bella vicinorum potentum, aut à vicinis quietis statim extinguenda sunt; aut certè illi ipsi tandem ad eadem trahentur bella vel inviti, ijsdémque magis involventur. Sic tota Græcia implicata fuit bello à Corinthijs & Corcyrensibus primùm commoto.

Regula 26. Quando eodem tempore duo à diversis Principibus bella imminent, non est utrumque simul suscipiendum; sed cum eo, qui se æquiorem præbet, priùs paciscendum est, & ex parte metus tollendus. Sic Romani cum Carthaginensibus fœdus iniêrunt ingruente tumultu Gallico. Sic Gustavus Rex Sueciæ Germaniæ illaturus bellum, priùs inducias sex annorum composuit

fuit cum Polonis, quæ poſtea acceſſione 26. annorum auctæ fuerunt.

Regula 27. Polemarcho magnum & longinquum bellum geſturo, nullus hoſtilis locus ipſi infeſtus à tergo relinquendus eſt.

Ita Guſtavus Rex Sueciæ in Germaniam ſuperiorem moturus, priùs Pomeraniam, Marchiam, Saxoniam ſubegit. E contrario Lautrechius Dux militiæ Gallicanæ, quia Neapolim adortus eſt, relicto poſt ſe inexpugnato Mediolano, Ticinum poſtea & Lombardiam perdidit.

Regula 28. Belli Ducem non oportet conſumere tempus in occupandis parvis oppidis & caſtellis, ſed primariam Urbem in hoſtico primùm aggredi.

Ita prudentiſſimè Maximilianus Bavariæ Dux, bello aggreſſurus Bohemos, qui à Rege ſuo Ferdinando deſciverant, recto tramite Pragam perfectus eſt: quam Regni Bohemici Metropolim, commiſſo prope illam prælio,

prælio, relatâque victoriâ, relictis minoribus Bohemiæ Civitatibus eodem diem mox expugnavit.

Erravit è contrario Comes Stabuli Galliæ Disdiguerius, qui cum Genuam expugnare debuisset, relictâ illâ priùs vim belli vertit in exigua quædam oppida & castella: Genuensibus interea vires colligentibus, quibus erepta est Gallis potentia urbem expugnandi.

Regula 29. Ad Prudentiam Imperatoris bellici pertinet, non temerè, sed magnâ adhibitâ cautela & circumspectione adoriri eam gentem, in qua duæ factiones mutuis odijs dissidentes, intestinis armis hostiliter concurrunt.

Populos inter se divisos dissentientésque adoriri, successit interdum: sed sæpe etiam lacessenti nocuit.

Cogitanti mihi (inquit Forstner. *in Notis ad Tacit.*) quæ diversi eventûs causæ fuerint, succurrit: vocatos ab alterutra discordium parte prosperè

rem

rem gessisse; at suâ sponte alienam in se pugnam derivantes, suo sibi, quod ajunt, jumento malum advexisse. Quippe priori casu, & nostris alterutrius partis armis sociatis, facile est infirmiores opprimere; & ea odiorum civilium rabies est, ut partium altera, quæ externos vocat, plerumque neglectâ propriâ salute, nihil quàm æmulorum exitium quærat. Exterorum præda esse præoptant, quàm cùm popularibus quietè agere: & quod suis viribus non possunt, excidio patriæ quærunt: peregrinis gentibus non magis ad bellum, quàm ad prædam & veluti patriæ possessionem accitis.

Altero verò casu, cùm utramq; partium externus hostem habeat, non idem sperari potest eventus. Imò probabilius est, descensuros ad consilium (quod unicum ad salutem superest) civilia odia ponendi, conjunctisque viribus eundi in hostem:

cùm

cùm libertati omnium ſtrui inſidias, facilè omnes advertant.

Philippus Vicecomes Mediolani Dux, ſæpiùs Florentinorum diſſidijs imminens, cùm ultra vicies centena millia nummûm aureorum expendiſſet, nihil omninò profecit.

Hiſpani à Franciſco Galliæ Rege in ſuis finibus laceſſiti, confeſtim rebellionem ſæviſſimam, animóſque ſuo regi infenſos poſuêre. *Guicciardinus lib.* 14.

Quoties Galli inter ſe digladiati, mutuis ſeſe vulneribus confecêre; toties, cùm adverterent Hiſpanos inde occaſionem captare res ſuas agendi, proprijsque ſuis commodis proſpiciendi; poſitis odijs, contra externum hoſtem conſpiravêre.

Tutius igitur eſt, diſſentiente inter ſe unâ gente hoſtili, quieſcere, dum mutuâ ſe cæde conficiant Ita miſeri patriam viris, armis, cæteriſque belli nervis exhaurientes, tibi pugnabunt; nec deinde ſupervenienti reſiſtere poterunt. Sua-

Suadent quoque Cosmopolitici, ut parti debiliori occultè submittantur auxilia, non quæ finiendo, sed quæ trahendo in longum bello sufficiant. Sic Alcibiades Tissaferni suasit, ne nimis enixè Lacedæmonios juvaret: quippe memorem esse debere, alienam se victoriam, non suam instruere: eatenus bellum sustinendum, ne inopia deseratur.

Cùm Pistorienses in Italia dissensionibus intestinis laborarent, & Florentini modò huic, modò alteri factioni faverent, brevi eò res deducta est, ut Pistorienses pertæsi tot molestiarum, sponte se suáque omnia in Florentinorũ potestatem traderent.

Regula 30. Imperator in bello nihil magis timere debet, quàm ne timere videatur.

Hæc animi, pericula nulla formidantis generositas in Serenissimo Archiduce Leopoldo Gulielmo, cùm Castris Cæsareis Regijsque præesset Polemarchus, clarissimis notis eluxit,

ut

ut refert P. Avancinus *in dissertat. de Virtut. & rebus gestis Leopoldi Gulielmi.*

Cùm ad Salafeldiam quinis exercitibus hostilibus, Sueco, Hassico, Luneburgico, Gallico, Vinariensi, ipse longè inferiore stipatus numero, majoribúsque destitutus machinis, cinctus esset, suis veluti commilito semper adstitit Leopoldus, nec loco se movit, licet jam plures grandiorum globorum vi ad ejus latus occubuissent; nec habitationem suam transtulit, tametsi domum illam jam tertiùs ab hoste globus perrupisset.

Pari virtute stetit ad Wolfenbitū, inter nutantes intrepidus, inter cadentes erectus, sola generosæ animæ constantia munitus. Luculentum est, & ab attestantis auctoritate inexpugnabile, Excell. Comitis Bernardi à Martiniz supremi Bohemiæ Burggravij datum elogium. Audivi, inquit ipse, à Suecis hostibus, Serenissimum Archiducem ad Wolfenbitum (quia Exercitum non moveri loco, belli

belli ratio exigere videbatur) eâ ipsâ ſtatione, in quam centum & plures majorum baliſtarum jactus ceciderunt, intrepidum adeò conſtituiſſe, ut nec levi vel corporis, vel capitis motu volantia fulmina declinaverit: comitantibus verò, qui timoris quædam ſigna monſtrâſſent, dixiſſe: qui pavidus eſt, recedat, ne ſuæ ignaviæ exemplum in intrepidè conſiſtentes transfundat. Unde & hoſtes admirati conſtantiam, inter ſe ajebant: Aut Angelus eſt Archidux, qui illic tam immotus conſiſtit, aut ejus ſtatua, aut ſpectrum aliquod ejus ſpecie.

Vidit & Belgium ſtupenda Leopoldinæ fortitudinis ac magnanimitatis exempla. Ad Armenteriam abrupta vi glandis plumbeæ galeri ſpirâ, oſtendit quid hoſtis vellet, quid Deus nollet. Ad Landracum, nec diſcerptus muralis tormenti globo ad latus ſibi aſſiſtentis Marchionis Pallavicini equus, Principis animum

percel-

percelluit : nec frequentiora fulmina militaria immissa tentorio, cùm convocatis Ducibus agenda mandaret, eum commoverunt. Ad Cortracum repetitis ictibus trajectum tugurium, quod incolebat, solâ stetit Archiducis constantiâ, dum ea pericula suâ non est dignatus formidine. Vicinus adeò acessit arci cuidam, ut & ipse, & qui circum ipsum instabant operi, loquentes è mœnibus Gallos distinctè audirent, cùm dicerent: En ille est Leopoldus, qui strictum manu gladium gerit. Paria ad Lendium occurrêre pericula, pari virtute contempta.

Sæpe admonebatur à suis, ne se, vitamq; suam tantis periculis objiceret; quibus ipse aut illud Alberti olim Belgij Principis reponebat : *Considerent, belli Imperatorum neminem librato muralis machinæ globo perijsse:* aut illud dignum maximo Imperatore Carolo V. dictum

Ferdi-

Ferdinando III. ad Nordlingam Victore: *Nullum è Familia Austriaca Principem, in summis etiam bellorum æstibus, balistæ majoris globo occubuisse.* Hæc Avancinus citatus:

Regula 31. Præstat belli Ducem in hostili, quàm in suo, vel Principis sui territorio cum hoste dimicare.

Ita Themistocles Atheniensium Dux contra Medos extra Græciam exercitum duxit. Hannibal ex Africa in Italiam ibat oppugnaturus Romanos, Scipio ex Italia in Africam contra Carthaginenses, Carolus V. consilio Andreæ Doriæ & Antonij de Leva, cum exercitu irrupit in Galliam contra Franciscum I. Galliæ Regem, antequam is Italiam ingrederetur, bellum illaturus Cæsareanis.

Nam Princeps in suo territorio hostem exspectans, cogitur suis sumptibus duos exercitus alere, & proprium & hostilem.

Deinde miles, qui hostem in sua terra aggreditur, plus animi habet, quàm

quàm qui ſe in ſua domo ex inopinato oppreſſum videt.

Regula 32. Prudens belli Dux alienis conſilijs alienóque ductu non temerè ducit copias in loca ignota, niſi & validus numeroſúſque ſit exercitus, & rationem reditûs planè compertam habeat, & à Duce viæ obſides acceperit. *Hac Regula uſus eſt Demoſthenes, in Ætolos ſuaſu Meſſeniorum irruens.*

Regula 33. Sicut in patentibus campis nunquam ei ſponte & ultro certamen ſuſcipiendum eſt, qui equitata longè quàm hoſtis inferior eſt, ut cenſet Polybius; ita parvo exercitui cum magno in locorum anguſtijs, non verò in æqua planitie patentíque campo confligendum eſt, ne minor exercitus à majore circumveniatur.

Regula 34. Hoſtis ſuperandi victoriæque reportandæ facillima ratio eſt, ſi arx & præſidium, quod habet hoſtis maximum, & in quo militum

anno-

annonam reposuit, capiatur. *Polybius histor. lib.* 1.

Regula 35. In prælio auxilium quantumvis exiguum ex insperato pro nobis hostibus ostentatum, vel in eos irruens, etiam illos jam victores in fugam vertit. Nam formidolosiores sunt hosti, qui pugnæ interveniunt, quàm qui ipsi pugnant. *Thucydides lib.* 5. *in Oratione Brasidæ ad milites.*

Regula 36. Officium Belli Ducis est, militem, cui sua solvuntur stipendia, à rapinis, vi & concussione prohibere.

Tam strictè olim milites ex disciplina militari abstinebant à rapinis, ut memoriæ tradiderit Scaurus, pomiferam arborem, quam in pede montis castrorum fuerat complexa metatio, postero die abeunte exercitu intactam fructibus relictam. *Frontinus* 4. *Stratagem. cap.* 3.

Regula 37. Belli Duces sæpe meminerint illius dicti, ab Albano Guberna-

bernatore Belgij, eodémque veterano Duce prolati: *Si ut oportet castigaveris delinquentem, & præmio affeceris bene meritum, fortissimis tua castra viris redundabunt.*

Regula 38. Miles à Duce suo non est facile contemnendus. Nam si strenuus est, strenuus esse desinit: si ignavus, ignavior esse incipit. *Dictum Cyri.*

Regula 39. In milite non est ferenda temulentia.

Inter bibaces Milites plures infundendo vinum, quàm effundendo sanguinem perierunt.

Cùm quatuor legiones Germanorum militum Romam Carolo Borbonio Duce occupassent, vix anno vertente dimidia Legio superstes in Germaniam rediit; cùm nullam nisi à crapula offensionem accepissent. *Guicciardinus.*

Regula 40. Duo sunt sævissimi hostes in bello, & à nullo exercitu expugnabiles, ideoq; maximè cavendi: *fames & frigus.*

Expertus Id Carolus V. Imperator in Obsidione Metensi: ubi cùm Exercitus ejus inediâ & frigore propemodum consumptus esset, obsidionem Urbis deserere coactus fuit.

Cùm Anno 1568. instructissimus Batavorum exercitus Duce Guilielmo Auraico prope hyemem trajecisset Mosam, & Dux Albanus omnem illi commeatum intercepisset, milites ejus partim inediâ, partim frigore valde afflicti, dissipati, ac dilapsi sunt.

Regula 41. In castrorum metatione id observandum est, ut ea fiat formâ circulari non quadratâ: Deinde ut castra vallo & fossâ semper muniantur. Id Cyro, id Romanis semper in more positum fuit: nec hi sine castris prælia gessisse leguntur. Quorum quanta fuerit in re militari utilitas, Paulus Æmilius Belli Dux clarissimus graviore oratione ad milites habitâ exposuit. Majores nostri, inquiebat, castra munita portum ad

omne

omnes casus exercitûs ducebant esse, unde ad pugnam exirent, quò jactati pugnæ receptum haberent: & qui castris exut⁹ erat, pro victo habebatur.

Regula 42. Hoc curandum maximè, ut victi hostes castris quoque statim exuantur, & impedimentis suis spolientur, ut plena sit victoria, illique territi animum despondeant.

Julius Cæsar dicitur nullum unquam hostem fudisse, quem non castris quoque exuerit. Ita nullum perterritis spatium dabat. *Suetonius in Julio.*

Regula 43. Delectos ex toto exercitu esse oportet, qui prædam ex hoste fuso, & urbe captâ colligant ac dividant.

Ita olim prudenter faciebant Romani. Contrarium nunc imprudenter faciunt Germani.

Maximilianus Archidux Austriæ cum Mahomete III. Turcarum Imperatore prælio ad Agriam An. 1595 dimicans, victoriam adeptus est:

plurimis Turcarum trucidatis. At cùm plerique militum contra Maximiliani edictũ rapinis ante tempus inhiarent, & in castris hostium prædas agerent, Panico quodam terrore in fugam subitaneam sese effuderunt. Unde factum ut plures equorum ungulis in fuga proculcati, quàm ab hostibus trucidati fuerint; atque ita prædatores Germani non minimam victoriæ adeptæ partem amiserint. Quid quòd ipsum Turcarum Imperatorem capere potuissent victores, nisi miles ruptis ordinibus, missóque hoste, præproperas prædæ manus admovisset. Itaque spolia ex hostibus non nisi partâ plenè victoriâ legenda sunt. Idque ne priùs fiat, severè est in exercitu prohibendum. *Herodotus lib. 9.*

Regula 44. Exploratorum opera Belli ducibus omnino est necessaria.

Exploratores sunt securitatis Procuratores.

Huomo avisato è mezzo salvato.

Porrò

Porrò illi ſunt optimi Exploratores, qui ſunt maximè exercitati in tegendis ſeipſis, & detegendis alijs.

Exploratorum vita eſt ſcire, & neſciri: Mors ſciri, & neſcire.

Regula 45. Belli Duces, qui cupiunt bello diteſcere, non ſolent victorijs inclareſcere:

Eos nonnemo hiſce verſiculis Satyricis inſectatur:

Ducunt, producunt longos fera bella per annos,
Et verè nomen commeruêre Ducum.
Ducunt, adducunt argenti pondera & auri
In proprios loculos, ſuntque manéntque Duces.

Regula 46. Fortunâ in bello manifeſtè labente, rebúſque multùm inclinatis, ſatius eſt, quavis tutâ conditione pacem accipere, quàm viribus cum valentiore pugnare. *Conſilium Iulij Cæſaris lib.* 1. *de bello Gallico.*

Regula 47. Pace ſuſpectâ, aut inducijs in certum tempus pactis, dimittere

mittere & exauctorare omnem militiam, minimè consultum est. Sic enim exarmatur Majestas Principis, hoc est, ludibrijs & periculis exponitur. Quamobrem prudentes Principes minorem pecuniæ, quàm militis jacturam rati, non cuivis promiscuè missionem dare solent, sed plerosque sub signis retentos, publicæ securitati invigilare, & emergentibus necessitatibus succurrere volunt. *Forstn. in notis ad Tacitum.*

Ludovicus Gonzaga (inquit Possevinus 4. *histor. Mant.*) senes & bello inutiles milites, provisis in totam vitam alimentis, ad sua dimisit: Eos verò qui viridi adhuc ætate stipendia facere volebant, præsidio civitatibus imposuit. Qui cæteris juniores fortiorésque erant, diurno denario, quamquam pax esset, tamquam bello retenti, ducendis fossis, expurgando Mincio, dilatandis portubus insudabant.

Aliĳ, quibus ad minuendos ſumptus, exercitûs partem exauctorare viſum fuit, illos dimiſerunt, qui ubi opus eſſet, facilè iterum ſacramento militari auctorari poſſe ſperabantur: retentis ijs, qui difficulter ad ſigna redituri credebantur.

Ita poſt duodecennales in Belgio inter Hiſpanos & Hollandos inducias factas, exauctorati ab Hiſpanis fuerunt omnes Germani, tanquam mercenariæ militiæ nunquam defuturi: & retenti Hiſpani, Itali, Burgundi atque Hiberni.

FINIS.

